

John Carter Brown.

347

Ternaux 873.

Capſ. Hyſt. n. 44.

DE ORIGINIBUS AMERICANIS,

Diſſertationem
Dei & Superiorum indultu
PRÆSIDE
VIRO CLARISSIMO
M. JO. HENRICO HORBIO,
Domino & Præceptore de me ſumme merito
Solenni Doctorum examini
A. D. 28. April. A. O. R. clɔ Iɔc LXIX.
P. P.
GODOFREDUS Wagner / Lipſ.

LIPSIÆ,
LITERIS COLERIANIS.

D. FRID. RAPPOLTI. POES. PROF. PUBL.

SILENUS,

In Diſſertationem de Origine Americanorum,

Ingenio & doctrinâ præſtantiſſimi adoleſcentis

GODOFREDI WAGNERI, LIPS. PAULI JCTI FIL.

VIx mihi dicta Venus numeroſo Villica verſu,
Adventuq; deæ renovati prodita mundi
Gratia, Naturæq; decor: cum Cynthius aurem
Vellit, &, Hoc trito vatum qvid tramite curris,
Qvid tibi raucet Hylas, inqvit? Majora canenda
Argumenta ſuper, rurſusq; inventus in antro
Verax magnarum pepigit primordia rerum
Silenus, nec ut ante Midam deluſit hiantem.
Huic & patritio juveni, divina merenti,
Si potes, eſto Maro, Chromidiq; anteire liganti
Mnaſyloq; jube, quæq; hiſce ſupervenit, Ægle,
Solerti ingenio & famæ felicibus orſis.
Ergo cano & memori deſigno carmine viſa:
Nec, ſi haut Andino ſuſtollor in ardua plauſu,
Aut tua, Magne Pater, neqveo nunc dicere facta,
Quæ nati celebrat, vileſcet pagina, nomen
Inferiore ſono. Laus eſt & parva profeſſis,
Sæpius & dignæ viſæ ſunt conſule ſylvæ.
Ordior: In viridi ſtratum iam vinxerat herba
Vere novo juvenis, perflantem pectore ſomnos
Turgentemq; mero, nec vincula ſenſerat ipſe
Dilati ſpe longâ, & non leviora petentis,
Quàm vel magne Phrygum rex vel Mnaſyle petebas:

Cum

Cum movet ille artus, & adhuc benè potus ab alto
Vix ſeſe emergit ſomno, luſusq; vetuſtos,
Et gratos iterum qveritur poſt pocula nexus:
Ac, quis, ait, nodo conſtrinxit membra, quis orbem
Me narrare novum, nec vano carmine, cogit?
Liber eram, cum ficta tibi, rex barde, canebam,
Aut fictis propiora, Europam & pulveris Afri
Æſtum ultrà, terrasq; Aſiæ, pulcherrima tempe,
Et duplo mȧjora hominum, maiora animantum
Corpora, & extentum lætis mortalibus ævum:
Et geminam ante alias ſurgentem mœnibus urbem,
Euſebien Machimumq;, & tergum vertere Anoſtum
Nolentem indigenas, non uno flumine cinctos
Lætitiæ luctûsq;, & mira ex arbore fructus,
Et genus inverſum lethi, ætatumq; recurſum:
Et qvæ plura animi vis non aſtricta iubebat
Infrenisq; furor. Nunc gratâ compede vinctus
Te, Proteu, cano vera magis, teq;, augur Apollo.
Principio humanum ſe ſangvine ſcindit ab uno
Multiplicatq; genus: tum mundi dividit oras,
In partesq; meat varias, quà ſurgit Eoo
Cardine, quà Heſperiis Sol feſſus tingitur undis,
Et gelidus Boreas, pluviusq; remurmurat Auſter.
Nec vacat, Oceanum qvæ ſeſe exporrigit ultra,
Terra potens rerum, civesq; invitat, & auſos
Suſcipit, ac reliqvo diviſos orbe coërcet
Exaugetq; viris. Neq; enim latuere carinæ,
Aut mare navigiis, qvàm ſciſſa eſt vomere terra,
Primâ ætate minus: patuerunt æqvora ventis,
Et patuere rati, nec vis ſua defuit ărti,
Ingenioq; vigor. Pepulerunt ſola colonos

Cri-

JOHN CARTER BROWN

Crimina, communiq; arva involvêre ruinâ
Fatales undæ, cum tellus gurgite merſa
Deletos hominum gemeret pecudumq; labores,
Extinctasq; domos, vix unâ ſoſpite. At una
Se tamen illa novos fœcunda erupit in auctus,
Et data non longo reparavit tempore damna,
Implevitq; ſolum. Cœpit formidine pulſâ
Hæc qvoq; terra coli rurſus, vel cedere ſorte
Uni addicta trium, poſtq; improba mœnia adiri.
Huc Javane ſatus, ratis huc Phœniſſa tetendit,
Huc Arabes, huc vela Scythæ rexere Sinæq;
Solertes populi: tetigit qvoq; littora Apella,
Et qvos ſeditio, qvos expulit, ultimus urbi
Qui ſtetit, armorum furor, & ſtipata virorum
Agmina, & anguſtis includi neſcia ſeptis.
Venit & Auſoniâ natus, venêre Britanni,
Et potor Rhodani braccatus, & accola Nili,
Vel pedes, æqvoreis vel ponto invectus habenis.
Sic diverſa locis, ſic lingvâ & moribus impar
Natio non unâ ſuccrevit origine, nec ſe
Unâ cenſeri patitur ratione modoq;.
Dixerat: applaudunt Satyriq; feræq; nemusq;,
Annoſumq; caput motat Dodonia qvercus:
Nec tantum Lycio ſe iactat Apolline Cyrrha,
Orphea vel Rhodope miratur & Iſmara vatem.
At iuvenis doctâ condit memorata papyro,
Et, qvantum ingenii valeat ſolertia, qvantum
Vis animi, prætextam intrà patri æmula, monſtrat.

* * *

Q. D. B. V.

DE ORIGINIBUS AMERICANIS
CAPUT I.
Argumentum.

Judicia de Scriptoribus Originum Americanarum. Occaſio hujus diſſertationis. America ante diluvium habitata. Probatur à fœcunditate antediluvianorum. Longævitate patrum. Americæ amœnitate. Americani diluvio deleti. Primi ex Noachi familia Americæ coloni ignorantur. Cauſa vagabundis ſedibus adſcribitur. Hominum cædibus. Defectui Hiſtoricorum veterum. Linguæ non ſunt firmum originis argumentum. Nec mores. Nec Religio. Autoritati in hac qvæſtione nullus locus. Platonis abraſa Atlantis fabuloſa. Probatur ab impoſſibili. Maris Atlantici qvalitate. InſularumAtlanticarum conditione. Locus Diodori alienus. Caſſiterides eædem cum Britannicis. Demonſtratur autoritate Strabonis. Etymologia nominis. Occurritur objectioni à plaga cœleſti, per demonſtrationem ignorantiæ Geographorum veterum. Salomonis navigatio in Americam refellitur. Argumento à ſitu portus in mari rubro, deſumpto. Deſcriptione Ophiræ. Mercium apparatu. Origines Americanorum qvibus vindicari poſſint. Probabiliter omnibus. Nullis certò.

POſt juſtum ſeculum annus currit ſeptimus & ſeptuageſimus, (a) qvo efferatos effrenesq; barbaros, qvos à Veſputio(b) Americanos dicimus, ſagaciſſimus Argonauta Colonus orbi patefecit cognito.

Reperti

(a) *Pancir. L. 2. tit. 1. Rer. Inv. & Salmuth. in Not. ad l. c. p. m. 19.*
(b) *Id. l. c. p. m. 20. & Grot. Diſſ. de Orig. Gent. Amer. p. m. 1.*

Reperti ſtatim, qvi inter alia curioſitatis pabula, originem harum gentium argumentis explorarunt argutiſſimis, alii conjecturis ſubnixi, alii ſtulta opinione gentem vel Adamo anteriorem, vel ab humanâ ſpecie heterogeneam, fungorum qſ. proventu, è terris ortam crediderunt. Non improbamus eqvidem diligentem eorum ſpeculationem, ſed hoc ſaltem dicimus, nullum fuiſſe hactenus, qvi erudiſ torum ſatisfaceret indagini. Celebrantur iſtorum populorum arbitri Acoſtæ, (c) Leſcarboti, (d) Brerevvodi, (e) Grotii (f) Læti, (g) Hornii, (h) ſed opinione magis multiplicis & reconditæ ſcientiæ, elogii illecebra, & veriſimilis phalera conjecturæ, qvam apodicticis harum rerum argumentis. Nominibus nituntur, lingvis gentium, moribus & famæ, qvæ tamen ſi accuratius examines, ficta ſunt atq; vana. Prodigioſos Præ-Adamitas, portentoſos item homines funginos, Iſaacus Peyrerius ſomniavit ejuſq; fabulæ flabellum Hugo Grotius. Palinodiam ille cecinit ſalubrem ſibi, Eccleſiæ deſideratam, ſuffocavit hic, jactura ſocii ſenſim ſententiam. Etenim figmenti convictus uterqve erat, paganorum gentiliumq; Poetarum meram θεογονίαν (i) crepantium, in veritatem inclinante calculo. Qvid, qvod ingens pondus habet, utriusq; plagæ India ejuſmodi homines uno qvaſi neget (k) ore. Hæc

(c) *Hiſt. Nat. & Mor. Indiæ.*
(d) *Hiſt. Nov. Franc.*
(e) *Diſqviſit. Lingg. & religg.*
(f) *Diſſ. duab. de Orig. Gent. Amer.*
(g) *Not. ad Diſſert. Grot. d. hoc argum.*
(h) *Lib. qvat. d. Orig. Gent. Amer.*
(i) ὡς καί τινες (*ita Spir. S. Act. 17. v. 28.*) τῶν καθ᾽ ὑμᾶς ποιητῶν εἰρήκασι, τοῦ γὰρ γένος ἐσμὲν θεοῦ.
(k) Es iſt (*ita* Roger in der offenen Thür zum verborgenen

Hey=

Hæc Hiſtoricorum Americanorum deprehenſa vitia, veritatis ardens magis excitarunt deſiderium. Nimirum exoſa ſemper fabularum erant ſimulachra. Veruntamen vota hactenus fuerunt irrita, virorum aut ſolida eruditione, aut nuda ſaltem opinione celebrium, vel intento vel remiſſo nimium, vel imbecilli penitus ingenio. Siccine vero ſepulta veritas? minime. Præbuit anſam potius hic doctrinæ aut defectus aut invidia componendi de Americanæ Gentis origine, qvalemcunq; diſſertationem: non qvod in pugnas prurirem, aut oſtentui inhiarem, ſed qvod in veritatem arderem, eidemq; excitandæ operam navarem unicè.

Barbari itaq; Americani, omnesq; creaturæ, rationis compotes, ex uno ſangvine (l) primi patris (m) Adæ, primæq; matris Evæ, ſtemma ſuum derivant. Ab his orti fæcunda Dei benedictione, nati natæq;, nepotes, neptes, abnepotes, ut exutâ ſemel æqvalitate ſegreges inſtituêre Dominatus, ſuosq;, ſi Auguſtini obtineat conjectura, habuêre Dynaſtas, ita latiſſimos ſtatim fundarunt principatus & remotiſſimas qvasq; occuparunt terras. Sanè qvi incremen- ta

Heydenthumb *p. 311. Edit. Arnold.*) unter den Heyden die gemeinſte Meinung/die Seelen ſeyen von Ewigkeit her geweſen/und eben die jenige Uhrſach/deren ſich Plato bedienet/ die Ewigkeit der Seelen zu bewären (ſprechend es könte nichts in das zukünfftige immerdar ſeyn/das nicht zu allen und ieden Zeiten geweſt wär) führen auch die *Bramines*, und laſſen ihren ſolche inſonderheit wohl belieben.

(l) *Act. 17. verſ. 26.* Ἐποίησέ τε ἐξ ἑνὸς αἵματος πᾶν ἔθνος ἀνθρώπων κατοικεῖν ἐπὶ πᾶν τὸ πρόσωπον τῆς γῆς.

(m) *1. Cor. 15. v. 45.* οὕτω γέγραπται, ἐγένετο ὁ πρῶτος ἄνθρωπος Ἀδὰμ εἰς ψυχὴν ζῶσαν.

ta Gentium (n) diviſiones, exitus mille ſexcentis poſt diluvium annis perpendet, facilè concedet Aſiam & qvæ huic vel annexa tunc, vel proxima Americam à fœcundiſſima antediluviana gente fuiſſe habitatas. Enimvero ſi Jacobæa in Ægypto domus ad ſexcenta millia virorum peditum, excluſa ſeqviori turbâ atq; vagiente duobus (o) potuit excreviſſe ſeculis. Si jam rerum declinato vigore, validâ ad miraculum virtute genitivâ eminuerunt Gideon (p) Ahab (q) Rehabeam (r). Si decrepita ferè ætate mundi, viginti duobus filiis, filiabus octo conſpicuus fuit Baro qvidam Babo (ſ) nuncupatus. Qvin imò ſi unius atavi viribus (t) ingens Hiſpaniæ vicus ad abundantiam imple-

---

(n) *Contra Horn. l. 1. c. 3. p. 21. Non credibile, jam ante diluvium tanto numero ſuccreviſſe homines, ut omnes orbis partes impleverint, qvanqvam Leſcarbotus magna fiducia aſſerat, Americam poſt diluvium recepiſſe potius qvàm accepiſſe habitatores.*

(o) *Exod. 12. v. 37.* (p) *Jud. 8. v. 30.*

(q) *2. Reg. 10. v. 6.* (r) *2. Chron. 11. v. 11.*

(ſ) *Cluver. Epit. Hiſt. p. m. 410. a.*

(t) *Hæc not. Ludov. Viv. ad Aug. d. C. D. l. 15. c. 8. Edit. Genev. Fuit memoria Patrum vicus pene centum domorum in Hiſpania, cujus omnes incolæ erant à ſene qvodam, qvi adhuc vivebat progeniti, ita ut propinqvitatis nomen jam deeſſet, quo à minimis natu vocaretur. Lingua enim noſtra ſupra abavum non aſcendit.*

De fœcundis Ægypti mulieribus ſic ſcribit Ariſt. Hiſt. Anim. l. 7. c. 4. πολλάκις δὲ καὶ πολλαχοῦ δίδυμα οἷον περὶ Αἴγυπτον. Τίκτουσι δὲ καὶ τρία καὶ τέτταρα. Περὶ ἐνίους μὲν καὶ σφόδρα τόπους πλεῖστα δὲ τίκτεται πέντε τὸν ἀριθμόν. ἤδη γὰρ ὤπται τοῦτο καὶ ἐπὶ πλειόνων συμβεβηκός· μία δέ τις ἐν τέτταρσι τόκοις ἔτεκεν εἴκοσιν. *h. e. Sæpe & locis pleriſq; geminos etiam pariunt, ut in terra qvoq; Ægypti fieri certum eſt. Pariunt etiam tres & qvatuor. Et qvidem in locis nonnullis valde ita fit, ſed qvinq; complurimum naſcuntur. Jam enim*

impleri pôtuit, qvis niſi planè ſtupidus, vernante divina benedictione, adhuc calido mundi initio, haud majorem multò Adami μακροβίας ſtatuat polytecniam. Hæc igitur innumera populorum copia, cum haud pôtuerit anguſtis Aſiæ contineri finibus, loco ac regione invicem ſeparata fuerit neceſſe eſt. Vix autem crediderim Europam potius, ſylvis magnâ parte horridam paludibusq; fœdam, ſterilemve arenis Africam; qvam Americam, cœli clementia, ſoli fertilitate qvosq; invitantem, ab Aſiaticis exulibus aut vagabundis fuiſſe occupatam. Venerit autem in Americam Adamo concepta proles, effuſam tamen vix nacta, e heu deperdidit felicitatem. Cum enim exundarent mortalium viam corrumpentium vitia, ſcelera, flagitia (u) ut largus boni compenſator, ita ſeverus mali vindex ſummus Deus atq; maximus perfidos delere decrevit funditus. Immiſſum igitur mox tale tantumq;, qvale qvantumq; nunqvam reſtagnavit hactenus, nec redundabit unqvam, i. e. univerſale diluvium, terras qua Sol utrumq; reſpicit hemiſphærium, omnesq; qvæ in ſicco vivunt, creaturas, excepta ſola Noachi familia, operuit, abſorpſit, perdidit. Rurſus placato Numine, refocillato & recreato qvaſi repetita benedictione terrarum ambitu, propagati denuò ſunt populi, occupatæ terræ, (x) repletæ inſulæ (y). Nondum Semus erat

nim hoc pluribus eveniſſe conſpectum eſt, & qvidam viginti partibus qvatuor edidit. Ejusdem gentis fœminam ſeptenos tuliſſe uno utero Plinius teſtatur Hiſt. Nat. l. 7. c. 3. p. m. 294. Ed. Aubr. Ancillam Cæſaris Auguſti in Laurente agro qvinq; liberos enixam eſſe Gellius aſſerit N. A. l. 10. c. 2. p. m. 504. Ed. Thyſi. Qvæ de prole numeròſa Mathildis aut Margaritæ potius, qvove fundamento tradantur, vid. lic. ap. Voſſ. Theol. Gent. l. 3. c. 22. p. m. 835. Ed. Franc.

(u) *Gen. 6. v. 5.* (x) *Gen. 9. v. 1.* (y) *Gen. 10. v. 5.*

erat mortuus, cum ad multas jam myriades (z) humanum genus excreviſſet; ne igitur hæc gentium confuſa turba, brevibus, ut olim, Syriæ incluſa pomœriis conſertis ſe conficeret gladiis, & mutui loco adjutorii pugnos referret pro farina, pro panibus lapides, teſtamentaria (aa) Noachi κατὰ θεῖον χρησμὸν facta diviſione, omnis terrarum portio, tribus Japheto, Semo, Chamo aſſignata fuit filiis. Cum autem reſtitiſſent diu Noachidæ & conſilium de deducendis coloniis non ſupremi favorem, ſed inſidias interpretarentur, ſcilicet qvo facilius, (verba ſunt Joſephi) (bb.) diſperſi

ſperſi

(z) *Ninus juxta Diodor. Sic. l. 2. c. 2. Edit. Caſtal. Monarchiæ Aſſyriorum conditor, (cujus 43. imperii anno natus eſt Abraham ut Euſebius ait) habuit in exercitu ſuo peditum decies ſepties centena millia, eqvitum vero ducenta millia, ad hæc currus falcatos ad decem millia & ſexcentos. Ex adverſo Zoroaſter Rex Bactrianorum contra Ninum comparavit exercitum qvadringentorum millium. En in utroq; exercitu vicies ter centena hominum millia, qvos omnes videre potuit Semus, ut nihil dicam de traditione (ſi non Philonis) certè antiqvi ſcriptoris.*

(aa) *Epiphan. contra hær. T. 2. l. 2. p. 337. Interp. Jan. Cornar. Noam, inqvit, ſervatum à diluvio diviſiſſe tribus filiis totum mundum ſorte in Rhinocolura jacta. Qvæ tamen ſententia non placet Bocharto l. 1. c. 16 Phaleg. argumento ab initio urbis longe poſt Noachum conditæ & perverſâ vocis Neel interpretatione deſumpto.*

(bb) *Antiqvit. Judaic. l. 1. c. 5. f. 11.* Τοῦ δὲ θεοῦ κελεύσαντος αὐτοὺς εἰς πολυανθρωπίαν στέλλειν ἀποικίας, ὑπ' ἀμαθίας παρήκουσαν τοῦ θεοῦ, καὶ διὰ τοῦτο συμφοραῖς περιπεσόντες, ᾔσθοντο τῆς ἁμαρτίας. Ἐπεὶ γὰρ ἤνθουν νεότητος πλήθει, πάλιν ὁ θεὸς αὐτοῖς συνεβούλευε πεῖσθαι τὴν ἀποικίαν· οἱ δ' οὐ κατὰ τὴν εὐμένειαν τὴν ἐκείνου νομίζοντες ἔχειν τὰ ἀγαθά, τὴν δὲ ἰσχὺν αὐτοῖς τὴν οἰκείαν αἰτίαν τῆς εὐπορίας ὑπολαμβάνοντες, οὐκ ἐπείθοντο. Προσετίθεσαν δὲ τῷ παρακούειν τῆς τοῦ θεοῦ γνώμης, καὶ τὸ καθ' ἐπιβουλὴν ὑπονοεῖν εἰς ἀποικίαν αὐτοὺς παρορμᾶν, ἵνα διαιρεθέντες, εὐεπιχειρητότεροι γένοιντο.

h. e.

ſperſi poſſent opprimi, calamitatibus implicati, confuſis tandem lingvis voluntati divinæ ceſſerunt, & in ſeparatas orbis ſeceſſere provincias. Utinam vero intra ſuam cuiq; patriam regna ſemper finita, & ſeparata qvisq; manſiſſet politia, parum hodie molis eſſet, vera gentium oſtendere incunabula, hominumq; qvorum monumenta pridem conſumpſit ætas, edocere primordia. At cum antiqva & avitagentibus conſvetudo nova imperii immutaretur cupiditate, prima finitimis illata bella, inſtrumenta fuerunt ſeqventibus. (cc) Acceſſerunt item impetu vel maris (dd) vel

h. e. juxta verſion. Sigiſm. Gelenii. Cæterum Deo jubente ut propagandi multiplicandiq; generis gratia colonias deducerent, homines rudes non paruerunt: qvamobrem calamitatibus implicati offenſum illum errore ſuo ſunt experti. Cum enim florerent juventutis multitudine, Deus rurſum de Colonia deducenda admonebat; Illi vero obliti, ſe ipſius benignitate præſentibus commodis perfrui, totamq; illam felicitatem ſuis viribus acceptam ferentes, dicto ejus non fuerunt obedientes. Et qvod pejus, conſilium de coloniis non favorem Numinis ſed inſidias interpretantur, videlicet qvo facilius diſperſi poſſent opprimi.

(cc) *Seneca de Clement. l. 1. c. 1. p. m. 264. Ed. Lugd. Batav. 12. Facit avidos nimia felicitas: nec tam temperatæ cupiditates ſunt unqvam, ut in eo qvod contigit, deſinant. Gradus à magnis ad majora fit: & ſpes improbiſſimas complectuntur, inſperata aſſecuti.*

(dd) *De Cimbrorum inundatione vid. Flor. l. 3. c. 3. p. m. 221. Cimbri, inqvit, Theutoni atq; Tigurini ab extremis Galliæ (Germaniæ legendum oſtendit Cluverius Germ. antiq. l. 1. c. 10. l. 2. c. 4. l. 3. c. 22. pluribus) profugi, cum terras eorum inundaſſet Oceanus, novas ſedes toto orbe qværebant, excluſiq; Galliâ & Hiſpaniâ in Italiam remigarunt &c. De bello, ejus eventu, & fuga vid. eund. ibid. & Plutarch. in Mario. f. m. 421. Ed. Aub. & Schl. it. Stadium Not. ad Cæſ. d. B. G. l. 1. p. m. 35. Edit. Mont. it. Val. Max. l. 6. c. 9. p. m. 588. Ed. Thyſi.*

vel animalium (ee) fugæ, repetitis arreptæ vicibus, qvæq; emerſerunt inde ſedes hominum vagabundæ, clandeſtinæ invaſiones, captivitates, magna in univerſum barbaries, lingvarum morumq; infinita diverſitas. Palmam illi conceſſero, qvi tantâ confuſione, qvæ dudum invaluit, ullius etiam regionis continuas polliceretur ſucceſſiones, hasq; vel ex viſceribus ſacri textus, vel ex priſcarum exſculperet gentium ruderibus. Vereor enim unica à multis jam ſeculis toto terrarum orbe regio reperiatur, qvæ priores ſolos adhuc habeat incolas, quin vicinorum potius, vel expulſi vel commixti ſint invaſionibus. Audax verò mihi audiet imò temerarius, qvi univerſam & ritu & lingva & genio toto qvaſi cœlo invicem diverſam Americam communi aſſerat autori, aut generali vindicet origini. Egregiũ fateor ſcrutandæ antiqvitatis eſt argumentum, ſi in lingvas inquiras, in mores, in ſacra atq; genium. Sic Tacitus Peucinos deducit à Germanis, rituum identitate, idiotiſmi atq; religionis. Tyrrhenorum verò à Lydis diverſitatem earundem rerum diſcrepantia æſtimat Dionyſius Halicarnaſſenſis. Neq; aliter Strabo, Plinius & Seneca diffuſos quaſi rivos ad ſuas deducunt ſcaturigines. Sed in confines hæc qvadrant, non illas verò gentes, quæ longo à ſe invicem diſtant intervallo, ad pauca hæc reſpiciunt ſecula, non longævam, quæ mutat omnia, vetuſtatem. Imò nec ille mihi culpabitur, qui his planè non aſſurrexerit,

cum

(ee) *Æthiopicæ deſertionis cauſam eſſe* πλῆθος σκορπίων καὶ φαλαγγίων *aſſerit Diod. Sic. l. 3. Bibliothec.*
Baleares cuniculorum impetu patria receſſiſſe Strabo inqvit l. 3. Geogr. Abderitas propter ranarum muriumq; multitudinem, relicto patriæ ſolo ſedes qvæſiviſſe, agrosq; ultimos Macedoniæ nactos eſſe; ap. Juſtin. extat l. 15. c. 2. p. m. 265. Ed. Bernegg.

cum tantæ neutiquam ſint ἀσφαλείας, ut in dubium vocari nequeant. In rebus humanis confuſiones orientur plurimæ, plurimæ in hiſtoriis nugæ, ſi qvamcunq; linguarũ (ff) convenientiam cognationis dixeris indicium. Manifeſta intercedit Græcis, Latinis atq; Celtis cum Ebræa lingva congruentia, judaicæ tamen originis nemo hos dixit hactenus. Sanè à Latinis & Germanis Congenſes originem trahent nec ullum inter Sinenſes & Hiſpanos erit diſcrimen. Detorqventur ſæpe linguæ, corrumpuntur vocabula, voces ab exteris illatæ venditantur pro indigenis. Linguæ interdum, unde ſimilitudo petenda, vel nobis incognitæ vel magnam partem periere. Qvot inſpirata in Babylone putas divina maledictione linguarum idiomata? Hebræis (gg) falſo & primitivis (hh) patribus pro familiarum numero,

B

(ff) *Horn. l. 1. c. 7. p. 46. In originibus gentium ſcrutandis initium à lingua faciendum eſt. & p. 49. qvanqvam multis modis vocabula mutationem admittant, prout à diverſis gentibus ad ſuam pronunciationem inflectuntur, id tamen nihil impedit, qvo minus ex illa ipſa varietate de originibus judicari qveat.*

(gg) *Sic Jonathan (Referente Bochart. l. 1. c. 15. Phal. f. 60.) in Paraphr. Gen. 11. v. 7. & 8. dixit, Deus ſeptuaginta angelis, qvi ſtant coram eo, venite nunc & deſcendamus & miſceamus lingvas eorum, ut non intelligat vir lingvam ſocii ſui. Et apparuit verbum Domini ſuper urbem & cum eo ſeptuaginta angeli, juxta ſeptuaginta gentes, qvarum unaqvæq; lingvam habet & ſcripturam propriam, & inde diſperſerunt eas ſuper facies omnis terræ in ſeptuaginta lingvas, ita ut unus non noſſet, qvid diceret ſocius ſuus & ſe mutuo interficerent.*

(hh) *Clemens Alexandr. l. 1. Strom. Euſeb. Chron. l. 1. p. 11. Epiphan. adverſus hær. l. 1, T. 1. f. m. 3. Ed. Jan. Corn. & hær. 39. qvæ eſt Sethianorum. Auguſt. d. C. D. l. 16. c. 3. f. m. 175. Ed. Lud. Viv. Proſper. Aqvitanus de voc. Gent. l. 2. c. 4. Autor Mirab. Script. l. 1. c. 9. Philaſt. hær. 63. Solus Pacianus Barcinonenſis Epiſcop. in Opuſc. contr. Novatian. cujus Hiero-*

mero,duo ſaltem numerantur & ſeptuaginta. Viginti enim & duæ gentes linguis diverſæ in unico vivebant (ii) regno Mithridatis. Dioſcurias (kk) nobile Colchidis oppidum trecentas olim continebat gentes,linguis diſtinctas non idiotiſmis. Nunc quot in Aſia extiterint,quot in univerſo mundo haud difficile poterit colligi. Neq; enim momentanea fuit maledictio ; quam ex occaſione turris Babylonicæ Deus inflixit hominibus, adhuc durat,& durabit ad omnem uſq; ævi conſummationem. Unde fit ut linguæ omnes paucis exceptis, quas libri præſtant à communi clade immunes,in fluxu ſint perpetuo,& magna ſui parte mutentur atq; corrumpantur ſingulis propè ſeculis. uſq; adeò verum eſt,quod Poeta (ll) canit:

Multar enaſcuntur, quæ nunc cecidere cadentq;
Quæ nunc ſunt in honore vocabula, ſi valet uſus
Quem penes arbitrium eſt & vis & norma loquendi.

Nec mores (mm) adeò mutationis ſunt expertes , ut labi nequeat

---

Hieronymus in Catal: meminit Epiſt. 2. quæ eſt ad Sempronian. linguas numerat centum & viginti, fundamento,cui innixus,non adjecto.

(ii) *Val. Max. l.4.c. 6. p. m. 403.*

(kk) *Plin. Hiſt. Nat.l. 6. c.5. p. m. 245.*

(ll) *Horat.d. Art. Poet. p. 160. Edit. Antvverp.*

(mm) *Docent Philoſophi locatum conſequi locorum conditiones. Hinc ait Porphyrius locum eſſe generationis principium , quemadmodum & patrem. Gens Gallo Græcorum (verba ſunt Flori l. 2. c. 11. p.m. 176) ſicut ipſum nomen indicio eſt mixta,& adulteratæ reliquiæ Gallorum,qui Brenno duce vaſtaverant Græciam ; mox orientem ſecuti in mediâ Aſiæ parte ſederunt. Itaq; ut frugum ſemina mutato ſolo degenerant,ſic illa genuina feritas eorum, Aſiaticâ amœnitate mollita eſt. Prudenter inquit Val. Max. l.2.c.6. p.m. 177. Spartana Civitas ſeveriſſimis Lycurgi legibus obtemperans , civium*

nequeat,qui baſes hos ſtatuit colligendi gentium origines. Quot enim induerunt barbariem populi cultiores, quot barbari redditi manſueti? Achæis humanis olim ſævitiam ſæva Scythia inſtillavit. Contra amplexi terrarum,quas occuparunt,modeſtiam Gothi,Hunni,Longobardi. Multum degenerarunt ab avito cultu Baleariđes. Turdetani teſte Strabone,ita conformarunt ſuos Romanorum ritibus, ut ipſam amiſerint linguæ patriæ notitiam. Tanta prævaluit in Canariis & Philippinis ſtupiditas, ut etiam ignis uſus interciderit apud bardos homines. An gentes deniq; ſacrorum fuerint adeò pertinaces, ut eorum indicio luculenter hodiè in origines poſſit penetrari, judicabunt illi, qui imbuti ſunt majori hiſtoriarum notitiâ. Quantum quidem hactenus potui ex earum lectione aſſequi, tantæ religionum mutationes interceſſerunt, ut ſi librorum beneficio non conſtaret fuiſſe,qui hæc obſervaſſent, impoſſibile foret ex iis,quæ vel nullæ vel exiguæ ſuperſunt, reliquiis talia eruere. Fortiora igitur promat, quisquis ad monſtranda populorum principia ſe velit accingere. Adhiben-

 hiben-

vium ſuorum oculos à contemplanda Aſia retraxit, ne illecebris ejus capti ad delicatius vitæ genus prolaberentur. Et paulò poſt: qvod eos non fruſtra timuiſſe dux ipſorum Pauſanias patefecit, qvi maximis operibus editis,ut primum ſe Aſiæ moribus permiſit, fortitudo ejus effœminato cultu mollita eſt. Ipſa diuturnitate (habet hæc Acoſta l. 1. de Nat. N.O. p. 63.) & deſvetudine humana pene omnia oblivione deleri, teſtis eſt Hiſpania & Italia, qvæ tot habet homines, tot barbarorum greges, qvæ præter os & figuram hominis nil habent reliqvi. Plura in hunc ſenſum ne adjiciamus, vetat Gruterus Diſc. 45. ad Tacit. ubi pulcherrimè docet tales eſſe hominum mores, qvalis eſt locorum ſitus, ubi degunt. Concidit itaq; argumentum Hornii pro origine Gentium à moribus deſumptum, qvorum ambitu ritus ſacros & profanos complectitur l. 1. c. 8. p. 53.

hibendam, ais, (nn) ad diſſipandas in hoc Helicone nebulas priſcorum autoritatem. Sed quid hæc confert ad veritatis inquiſitionem? nihil, aut parum. Platoni equidem ſuas admetior laudes, principem fateor ſui ſeculi Philoſophum, peritum item rerum divinarum æq; atq; humanarum; ſed hoc ſtultum reor atq; intolerabile, cum Platone errare malle, quàm vera ſentire cum aliis. Certe vel obiter ejus inſpecta opera, quot nugas (oo) produnt & aniles fabulas?

(nn) *Non ignotus fuit (verba ſunt Hornii d. Or. Am. l. 1. c. 10. p. 56.) noſter orbis Americanis, nec illorum nobis. Nam Californiani noverant, idq; ſibi à majoribus traditum aſſeverabant, gentes in alio orbe barbatas & veſtitas reperiri. Sic Mexicani ſe advectos ex aliâ orbis parte in Americam retulerunt --- Priſcis quoq; ſcriptoribus noſtris cogniti fuerunt ultra oceanum orbes alii, de quibus Clemens Alexandr. in Epiſt. quadam teſt. Hieronym. in cap. 11. Epiſt. ad Eph. Nihil nunc de Atlantide Platonis dico, res notior eſt, quam ut referenda ſit. Memorabile eſt, quod Ælian. 3. hiſt. refert, Silenum Midæ narraſſe Europam, Aſiam, Lybiam inſulas oceano circumfuſas eſſe; extra eas continentem quandam infinitæ magnitudinis, quæ nutriat grandia animalia, & homines duplo majores & longæviores quàm noſtri ſunt. In Senecæ Suaſor. Avitus teſtatur, communem opinionem jactari, fertiles in oceano jacere terras. Hæc nõ profecto fuerunt ex mera & incerta conjectura. Sed ex illa notitia jacentium in Oceano terrarum. Hactenus Hornius.*

(oo) *Quomodo enim (ſic Acoſta de Nat. N. O. l. 1. c. 22. p. 58.) non fabuloſum eſt Neptunum Clitus amore captum quinquies gemellos ex ipsâ ſuſcepiſſe, collem verò in quinq; orbes diviſiſſe, tres maris, duos terræ quaſi torno deſcriptos? Quid templum illud ſtadii longitudine, trium jugerum amplitudine, cujus omnes partes externæ argento, ſummæ autem auro eſſent oppletæ, intrinſecus autem fornix eburnea, tota auro & argento & aurichalco variegata. Hæc Acoſta. Addimus: quod tempus diluvii Atlantici nimis extendat ſupra Deucalionis, imò ipſius Noachi diluvium; unde Opmeerius in Chronol. collegit Atlanticos jam ante diluvium in Americam veniſſe.*

bulas? Atlantis ipſa (pp) virum arguit erroris graviſſimi. Quis enim credat inſulam & Africa & Aſia majorem abraſam ita eſſe pelago, ut nequeat vel bolidis jactu fundus penetrari. Violentia quidem ingens in Zona torrida maris Pacifici, perpetui motus, venti orientem verſus ſatis horridi. Nec diffiteor auſtrali Aſiæ terræq; Magellanicæ annexas olim inſulas undarum impetu ſucceſſu temporis fuiſſe divulſas. Diſtant enim brevi intervallo fundus exploratu facilis, littorum adſunt atq; alveorum rudera. Num vero eadem maris Atlantici eſt ratio? Ego certè dixero aut nulla prorſus ejuſmodi aut contraria penitus obvia eſſe veſtigia. Abſunt hic pulvini, abſunt ſyrtes, eadem eſt niſi ad Flandricas inſulas oceani altitudo, nec obſervatum nautis

B 3 aut

(pp) *De hac (pergit Horn. l. 2. c. 6. p. 85.) Divinus Plato in Critia & Timæo ea tradit qvæ Americanas origines evidenter aperiunt. Adſcribimus verba Platonis, ut appareat, qvâ veritate dicta fuerint. Habentur ea in Timæo p. 1045. Ed. Aubr. in fol. Anno 1602. editæ.* Ἡ δὲ νῆσος ἅμα Λιβύης ἦν καὶ Ἀσίας μείζων, ἐξ ἧς ἐπίβατον ἐπὶ τὰς ἄλλας νήσους τοῖς τότ' ἐγίγνετο πορευομένοις. Ἐκ δὲ τῶν νήσων ἐπὶ τὴν καταντικρὺ πᾶσαν ἤπειρον τὴν περὶ τὸν ἀληθινὸν ἐκεῖνον πόντον. *& paulò poſt* Ὑστέρῳ δὲ χρόνῳ σεισμῶν ἐξαισίων καὶ κατακλυσμῶν γενομένων μιᾶς ἱμέρας καὶ νυκτὸς χαλέπης ἐλθούσης, τό, τε παρ' ὑμῶν μάχιμον πᾶν, ἀθρόον ἔδυ κατὰ γῆς, ἥ τε Ἀτλαντὶς νῆσος ὡσαύτως κατὰ τῆς θαλάσσης δῦσα ἠφανίσθη. διὰ καὶ νῦν ἄπορον καὶ ἀδιερεύνητον γέγοιε τοὐκεῖ πέλαγος, πηλοῦ καταβραχέος ἐμποδὼν ὄντος, ὃν ἡ νῆσος ἱζομένη παρέσχετο; *h.e. ex interpr. Marſilii Ficini: fertur inſula illa Lybia ſimul & Aſia major fuiſſe, per qvam ad alias proximas inſulas patebat aditus, atq; ex inſulis ad omnem continentem è conſpectu jacentem vero mari vicinam. Poſt hæc ingenti terræ motu jugiq; diei unius & noctis illuvione factum eſt, ut terra dehiſcens veſtros illos omnes bellicoſos homines abſorberet, & Atlantis inſula ſub vaſto gurgite mergeretur, qvam ob cauſam innavigabile pelagus illud propter abſorptæ inſulæ limum relictum fuit.*

aut latentis aut prominentis terræ periculum. Ipſæ Aſſores & Canariæ, ne minimam hactenus perpeſſæ ſunt maris violentiam, qui igitur illis vel annexa tunc vel proxima terræ moles foret inundata. Sed imprudenter refellere pergo, quæ aut ridiculè ſcripta, aut per parabolam qſ. de ambiguo in Republ. felicitatis ſtatu philoſophicè ſunt introducta. Nec majoris ſunt ponderis, quæ pro origine Americanorum è Diodoro Siculo (qq) allegantur. Quę enim hinc

---

(qq) *Secundus (argumentatur porrò Hornius l. 2. c. 7. de Or. Gent. Am. p. 91.) poſt Atlantes in Americam adventus Phœnicibus tribuitur, illis priſcorum ſcriptorum narrationibus, qvibus navigantes in Atlantico mari novas detexiſſe terras referunt. Qvod Diodorus ventis & tempeſtatibus adſcribit, cujus verba rem mirificè declarant. Dicit enim Phœnices vetuſtiſſimis temporibus extra columnas Herculis navigantes ingentibus ventorum procellis ad longinqvos oceani tractus fuiſſe abreptos, ac multis diebus vi tempeſtatis jactatos tandem ad ingentem inſulam in oceano Atlantico complurium dierum navigatione à Lybia in occaſum remotam veniſſe. Cujus ſolum frugiferum, amnes navigabiles, ſumptuoſa ædificia fuerint. Inde Carthaginenſes & Tyrrhenos harum terrarum notitiam accepiſſe. Qvibus verbis nihil clariꝰ eſſe poteſt. Nam & notam fuiſſe priſcis Americam & Phœnices in eam navigaſſe oſtendunt. Qvæ enim illa ingens Atlantici maris inſula complurium dierum navigatione à Lybia in occaſum remota? Tum cultam jam fuiſſe ante hunc Phœnicum adventum ſumptuoſa ædificia qvæ repererunt, indicio eſſe poſſunt. Addit Diodorus: poſtea Carthaginenſes cum ſæpe à Tyriis & Mauritanis bello premerentur Gadibus præternavigatis & Atlantico provectos oceano, tandem ad novas has regiones appuliſſe & coloniam duxiſſe, eamq; rem diu tacitam ſervaſſe, ut ſi rurſus ſedibus ejicerentur, haberent locum, in qvem ſe cum ſuis reciperent. Et hæc navigatio tam celebris fuit, ut complures Carthaginenſium familiæ eò habitatum iverint: & Tyrrheni coloniam eò deſtinarint, niſi à Carthaginenſibus impediti fuiſſent. Alii rem paulò aliter*

hinc pro America conjectura? Nullane extra fretum Herculis in pelago Atlantico ad occidentem ſita inſula? Nullane à Gadibus dierum plurium itinere remota? Atlanticone omnes ſubmerſæ diluvio? unde igitur quæ frequentantur hodiè Aſſores, Heſperides, Caſſiterides & Fortunatæ? Fortè è fundo maris poroſa terra ad hanc excrevit nunc altitudinem, quæ Carthaginis tempore infra aquæ latuit adhuc ſuperficiem. Si extitiſſe fateris, quidni de his potius Diodori locum, quam de America longius remota explicas. Magnitudinem objicis adq; fœcunditatem à Siculo aſſirmatam hiſce non competere. Sed quæſo num minutæ Caſſiterides, omnium Europæ confinium inſularum ampliſſimæ à te vix amplæ, à veteribus alter orbis appellatæ. Num ſteriles, num infœcundæ? qvæ ubertate Soli, agrorum atq; paſcuorum pingvedine, aere deniq; temperato ſemper fuerunt celeberrimæ. Miraberis forte HornI contrariam tuæ Caſſiteridū deſcriptionem, ſed Aſſores cum dicas, qvas nos Britannicas vocamus, cribrum ſuppoſuerit hirco, qvi diverſas has conciliare velit opiniones. Rationibus decidenda, qvæ hic videntur controverſa. Una tibi ſupereſt è Strabone (rr) deprompta, ad Aqvilonem Hiſpaniæ

liter narrant: Repertam à Carthaginenſibus fortuitò inſulam, & in eam injuſſu Magiſtratus commigraſſe plurimos: qvod diffluente paulatim populo cœperit poſtea capitale eſſe. Hæc igitur qvæ de Carthaginenſium coloniis traduntur, ſupinam eorum negligentiam ſatis redarguunt, qvi nullam apud antiqvos mentionem ullius in has partes navigationis extare dicunt, qvod Acoſta & Leſcarbatus facit.

(rr) *Strabo (ita enim loqveris l.2.c.10.p.206.D.O.A.) vel leviter inſpectus omnem dubitationem tollit. Dicit ille ad Aqvilonem Hiſpaniæ Caſſiterides eſſe ſitas. Qvod de aliis falſiſſimum, verum ſi Aſſores intelligantur.*

niæ ſitas eſſe Caſſiterides. Sed ſolæne Aſſores huic plagæ ſubjacent? igitur excluſæ eâdem ſunt Britannicæ? *μέγα λίαν ἄιτημα!* Si Strabonem propriis luſtraſſes oculis, aliud de Caſſiteridibus tuliſſes judicium. Inſulam deſcribit (ſſ) ſolis per viam Phœnicibus feracem ſtanno, plumbo atq; corio. Hæc Melicarto (tt) primum, hic patriæ deinde ſtannum plumbumq; communicavit. Abhinc Caſſiterides nomen (uu) ſortitæ ipſaq; Britannia. Hæc enim qvid

---

(ſſ) *Strabo l. 3.* προ͂τερον μὲν ȣ̂ν Φοινίκες μόνοι τὴν ἐμπορίαν ἔστελλον ταύτην ἐκ τῶν Γαδείρων κρύπτοντες ἅπασι τὸν πλȣ̃ν. *h.e. Primo qvidem ſoli Phœnices eò negotiatum mittebant è Gadibus celantes alios iſtam navigationem. De Gentis opibus paulò poſt habet:* Μέταλλα δὲ ἔχοντες Κασσιτέρȣ καὶ μολύβδȣ, κέραμον ἀντὶ τȣ́των καὶ τῶν δερμάτων διαλλάττονται, καὶ ἅλας καὶ χαλκώματα πρὸς τȣ̀ς ἐμπόρȣς.

(tt) *Plinius l. 7. c. 56. p. m. 340. Plumbum ex Caſſiteride inſula primus apportavit Mitacritus. Legendum Melicartus vel Melcartus, i.e. Phœnicius Hercules ap. Sanchoniatonem ad qvem occiduas navigationes Phœnices referebant. Nam Mitacritus græcum nomen eſt. Græcis porrò de Caſſiteridum inſulis nihil compertum. Qvod Herodotus ingenuè agnoſcit:* Οὔτε, *inqvit,* νήσȣς οἶδα Κασσιτερίδας ἐȣ́σας ἐκ τῶν ὁ Κασσίτερος ἡμῖν φοιτᾷ. *Neq; Caſſiterides inſulas novi è qvibus ad nos affertur ſtannum.*

(uu) *Conſentit hic Bochartus Part. II. Geogr. Sac. l. 1. c. 39. f. 720. l. A. ſeq. Jis accedo, inqvit, qvi Caſſiterides inſulas volunt eſſe Britannicas, qvia, qvo loco deſcribuntur, i. e. in oceano ad Aqviolnem, nullas novi alias inſulas ſtanni & plumbi feraces. Qvid qvod ex ipſo nomine res videtur poſſe colligi. Bretannia enim nihil videtur aliud qvàm Barat-anac i. e. ager ſeu terra ſtanni & plumbi. Bara enim & in regimine Barat Syris agrum eſſe ſciunt omnes & ex Daniele abunde notum. conf. c. 2. v. 38. c. 4. v. 12. Anac ſtannum aut plumbum Hebræi explicant in Amos 7. v. 6. nempe utrumq; Anac ſignificat. Avicen-*

qvid aliud qvam e Phœnicio deflexum Barat-anac ſtanni ager aut terra plumbi? Qvid Κασσίτερος, unde Caſſiterides, niſi id, quod plumbum Græcis eſt aut plumbum album. Refertiſſima utroq; britannia; in America nihil hujuſmodi reperies, nedum in Aſſoribus, aurea illi tellus erat, & argentea, nullibi vel ſtanno vel plumbo ferax, hæ ne fodinas qvidem habent metallicas. Si verò Britannia ſeptentrionalior magis qvam occidua appareat, ſciendum eſt, tantum olim offendiſſe in iis potiſſimum locis, qvæ parum adhuc innotuerant, qvi Principes etiam audirent Geographiæ. Qvantum erravit in Europa ejusq; Gallia in primis vulgo conſpicuus Ptolemæus. Qvæ in notiſſima Italia Melæ craſſa ignorantia. Ipſe Strabo religiosè nimis ſecutus ſuum Polybium in extremis ſæpe Europæ finibus à veritate aberravit. Nec Plinius, Solinus, Dionyſius hoc omninò

---

vicenna l. 2. c. 27. definit plumbum nigrum. Sed Lexicographi Ara-
bes docent utriq; metallo, Stanno, inqvam, & plumbo nomen eſſe com-
mune.---Sic Græcum Κασσίτερος, *unde Caſſiterides, qvod Græcis pro-*
priè ſtannum eſt, Mela plumbum reddidit l. 3. c. 6. p. m. 86. Ed. Baſil.
qvia plumbo abundant uno omnes nomine Caſſiterides appellant.
Sic Plinius aſſerit l. 4. c. 22. p. m. 205. Caſſiterides ita dictas fuiſſe Græ-
cis à fertilitate plumbi. Nempe ex Plinii ſententia ſtannum eſt plum-
bi ſpecies. Et verò plumbum & ſtannum ſunt metalla valdè vicina.
Utroq; Britannia eſt terrarum omnium fœcundiſſima. De ſtanno
res notiſſima ex Diodoro l. 5. p. 209. ut taceam recentiores. De plumbo
Plinium audi. Nigro, ait, plumbo ad fiſtulas laminasq; utimur, la-
borioſius in Hiſpania eruto, totasq; per Gallias: ſed in Britannia ſummo
terræ corio adeò large, ut lex ultro dicatur, ne plus certo modo fiat. Stan-
num reperitur potiſſimum in Cornuvvallia & vicinis inſulis, plumbum
in Coritanis, Ordovicibus & Brigantibus. Qvâ arte & qvanta copia
eruantur, vide ſis ap. Camblenum. Mihi docuiſſe ſufficit ab hac me-
tallorum fœcunditate has inſulas, ut à Græcis Caſſiteridas, ita à Phœ-
nicibus dictas fuiſſe Barat-anac ſeu Britannicas, agrum ſtanni & plambi.

errore ſunt exemti: Corruit itaq;, ni omnia me fallant profana, qvam amplexus eſt Hornius, Scriptorum autoritas. Ad Θεόπνευστα progreditur, horumq; veritatem nobis objicit immutabilem. (xx) Ἀσφαλέστατον certè argumentum, in qvo ſi quis acquieſcere nollet, perinde faceret, ac ſi Chriſtum vellet

---

(xx) *Tertius Phœnicum in Americam adventus eſt, cujus prima fit mentio circa Salomonis ævum. Cum enim immenſa fuerit ſapientia Salomonis, neceſſe omninò eſt, ut magnæ illius terrarum partis non fuerit ignarus, qvæ tot miraculorum ferax eſt. Sive igitur ex Erythræo ſive Mediterraneo mari ſolverit ejus claſſis Americam, præſertim trienni navigatione, petere potuit. Qvanqvan ſententia Goropii Becani & Fr. Bivarii non omni fundamento careat, ſtatuentium factam illam navigationem per Mediterraneum mare, non verò qvod communiter putant ſinum Rubrum. Qvia & Tharſis & Tyrus & Azion-Geber ad Mediterraneum: Nec Tyria claſſis ex ſinu Arabico ſolvere potuit, cum qva iverunt Salomonis naves. Nam Hiram non claſſiarios tantum, ſed & claſſem Salomoni ſuppeditavit. Nec Ezion-Geber, cujus Moſes meminit ad littus maris rubri: ſed interius propè Cades, cum Iſraelitæ ſemel tantum ad mare illud fuerint. Neq; eadem cum illa unde claſſis ſolvit, qvippe illa unde claſſis ſolvit in Idumæa ſita, qvæ non attingit rubrum, ſed mediterraneum mare, ſicut ex Ptolemeo patet --- Suph qvoq; cum terminum qvemvis notet non Erythræo tantum mari, qvanqvam huic freqventius, verum etiam Mortuo & mediterraneo tribuitur. De Tharſis mirum eſt adeò hæſitare doctos, cum Tarteſſus Hiſpaniæ regio celeberrima & priſcorum navibus multum freqventata ob auri copiam ſit. Igitur non in genere qvamvis regionem longè diſſitam, nec qvodlibet mare notat, ſed Hiſpaniam, Ciliciam & totum mediterraneum mare. Jonas clarè dicit, qvod è Joppe in Tharſis navigatum fuerit. Igitur Tharſis ad Mediterraneum mare. Porrò navigare in Ophir & Tharſis unum idemq; eſt, ſicut ex 2. Reg. 22. collato cum 2. Chron. 20. patet. Hæc inqvam argumenta faciunt, ut Salomonis, Hirami, & Joſaphati naves per mediterraneum mare in Ophir & Tharſis navigare potuerunt, & hinc in ipſam qvod triennium ſvadet Americam.*

vellet incarnari denuo, ut plenius & clarius explicaret conſilia Dei. Cum autem cœcam Deus nolit obedientiam, ſed juſtam lucis exigat applicationem, illuminatum jubare cœleſti oculum, non præoccupatum humanis præceptis animum, ignoſces ſpero Horni, quod canorum nivibus tuis antiqui dierum antiquam antehabuero veritatem, tuaq; è Pſeudherminiâ deprompta argumenta ad veritatis lancem ſuſpendam examinanda. Salomoni Americanas largiris colonias, idq; ab immenſa ejus probas ſapientia. Ego verò condono primum catachreſin in voce immenſi. Nam ut nemo immenſus, niſi ſolus Deus; ita de nullo ente niſi divino immenſam prædicare poſſum ſapientiam. Fuerit autem mortalium poſt lapſum ſapientiſſimus, & principia habuerit non humanæ minus qvam divinæ ſapientiæ communicata; An conſummata hæc ſtatim? an excluſiva experientiæ? Ipſius Adami ſapientia, ſerena licet fuerit ſine nubilo, recta ſine deliqvio, perfecta è cauſarum venis, non ſolis effectuum deprompta veſtigiis, experientiæ tamen admiſiſſet acceſſionem. At poſtquam prima prævaricatio neceſſitatem induxit moriendi, concreata hæc artium principia vel extremis ſaltem adumbrata lineis, vel aliorum planè relicta ſunt ſcrutinio. Atq; hinc plurima illa noſtrorum hominum inventa, ad admirationem inſignia, vetuſtati vel ignota penitus, vel omninò non exculta. Eadem mortalitatis miſeria, cum & in Salomonem fuerit propagata, plane non eſt dubium fuiſſe ipſi haud exculta omnia, manſiſſe potius occulta multa, multa ignorata. Ipſa claſſis ab Hiromo nautis inſtructa, ejusdemq; diuturnæ oberrationes notitiam oſtendunt hydrographiæ ſaltem inchoatam. Oceanum, inquis, ex oceano ingreſſus, mare emenſus mediterraneum, Americam triennio citius repetere

 tere

tere neqvivit. At hoc tuum πρῶτον ψεῦδος eſt Hornî ſolviſſe Salomonem ad Ophir è mari mediterraneo. Docuit eadem Goropius Becanus, ſed judicii magis oſtentandi causâ, qvàm veritatis demonſtrandæ. Hoc enim habuit propoſitum, ut ingenii ſui ſublimitatem per incertiſſima ſubtiliter experiatur. Tu, cum credendo facilior, qvàm judicando felix, argutum hominem ſecutus es, σπλάγχνα viris moviſti, atq; riſum, nulli certe aſſenſum. Ezion-Geber portus eſt Erythræi maris claſſisq; Salomoneæ, Geographis (yy) patribusq; priſcis (zz) & modernis Theologis (aaa) ὁμοθυμαδὸν conſentientibus. Solus Becanus contumaciter huic reluctatus ſententiæ, opinioni & antiqvitate temporum, & ſcriptorum autoritate inclytæ, noluit aſſentiri, portumq; è rubro in mare mediterraneum tranſtulit. Nimirum abutebatur vir argutus Strabõnis autoritate, qui Idumæam Judæâ inqvit cingi, Ægypto, Arabia Petræa, & Mediterraneo. Advertiſſet hic Hornius duplicem ipſius Becani Idumæam, ſuperiorem aut occidentalem & inferiorem aut orientalem ſpecioſis iſtis vix ſeductus eſſet ἀζεύγμασι. Illa qvidem mediterraneo, hæc Petrææ Arabiæ & rubro mari eſt propinqva. Ipſe Spiritus S. (bbb.) Becani obſtructurus argutiæ Ezion-Geber huic Idumææ parti confinem aſſerit,

---

(yy) *Ptolemæus l.6.c.28.Geogr. Strabo l.16. Plinius l.5.c.10.& ſeqq. Joſephus Antiq. Jud. l.8.c.2.p.269. Adrichom. in Th. Ter. Sanct. f.28. Carol. Steph. in Diction. Hiſt. Geogr. in Azion-Geber & Ailat. Bochartus in Can. L.1.c.44.f.764.*

(zz) *Theodoret. in 1. Reg. 9.*

(aaa) *Alphonſ. Toſtat. 2. Paralip. 9. qvæſt. 20. Arias Mont. in Chaleb. Appar. Sac. præmiſſo. Joſ. A Coſta de Nat. N.O. l.1.c.14. Nic. Fuller. Miſcell. Sacr. l.4.c.20.*

(bbb) *2. Chron. 8.v.17. Cum qvo conferas 1. Reg. 9.16.*

ſerit, qvæ mari Suph finitima, labium ejus attingit. Frivola eſt exceptio, τὸ Suph qvemvis notare terminum, adeoqve non Erythræo ſolum, verùm etiam mortuo competere atq; mediterraneo. Qvamvis enim Suph vi verbi mare vel finiens vel finitum (ccc) denotet, adeoq; omni competat pelago, cui Deus ſuos poſuit terminos, ſuos præſcripſit limites, phraſi tamen Biblica ſoli datur mari rubro ſpecialiſſima ſignificatione ab alga & juncetis deſumpta. Plura deſideranti de vero hujus portus ſitu evolvenda erit Iſraelitarum peregrinatio Ægyptiaco-Cananæa, ejusq; manſio ſecun-

(ccc) *Sciendum eſt (verba ſunt Pinedæ Salom. prævio l. 3. c. 10. f.*
m. 230. Ed. Mogunt.) ex freqventiori Lexicographorum & eruditorum
obſervatione nomen Suph ſignificare juncum, algam, caricem ſ. juncetum,
qvod ad ripam litusve fluminis aut maris naſcitur: & rectè dici à ra-
dice Suph, qvod eſt finire, terminare, conſummare, deficere; ex eo qvod
in littore & margine, qvi eſt finis ipſius maris naſcitur ejusmodi herba;
aut qvia ex communi ratione mare ſit finis & terminus rerum, qvaſi
conſumtor, finitor, conſummator, vorax rerum omnium & velut ſumma
& recapitulatio, in qvam omnia abeunt. Proprium verò eſſe appoſitum
maris rubri. Qvare cum vulgatus interpres pro Jam Suph vertit ma-
re rubrum, non tam facit ex bonitate qvam vocant intelligentis, qvàm
ex debita vocis exigentia & proprietate, ita ut mare Suph nunqvam de
alio mari propriè dici poſſit: in qvo ſenſu procul dubio conſentiunt u-
niverſi Hebræi, qvi mare junci ſ. mare algoſum aut caricoſum interpre-
tantur mare rubrum. --- Abundat enim hoc mare, qvod ex Plinio a-
nimadvertas, alga illa ſed rubra maximè & longiori, non brevi illa,
qvam Reichlinus deſcribit, & latâ. Hoc fuci marini & algæ genus eo
mari contentum ita rubeum colorem alligat lanis, qvam diu recens tin-
ctura eſt, ut purpuram provocet teſte Plin. l. 32. c. 6. Unde ſanè efficietur,
ſi Suph propriè ſignificat ejusmodi rubentem herbam aut fruticem, qvo
illud mare abundat, ab eo potiſſimum deſumptam fuiſſe maris rubri
appellationem.

cunda & trigeſima. Ponitur (ddd) ibi Ezion-Geber, Abronem inter & deſertum Zin juxta montem Hor ad terminos Edom. Stultiſſimus foret hominum, qvi luſtratis vel leviter hiſce circumſtantiis non rubro eam tribuat, ſed mediterraneo. Hic lignorum feraces ſunt ſolitudines (eee) hic robuſtiſſima ſtruendis apta navibus qvercetа, qvibus ſuam Salomon extruxit claſſem, eamq; alienis ſaltem inſtruxit nautis (fff) Qvid velificante opus eſt Æolo, qui vel volatiles vel plicatiles Hiromi naves per juga montium perq; præcipitia, & patentiſſima Arabiæ deſerta è mediterraneo deducat ad mare rubrum, cum nullas Tyrô acceperit Salomon ſed claſſem propriis in Erythræi confiniis ſumtibus extruxerit. Ex orientali portu itaq; in altum ſubvecti nautæ Salomonis deſideratiſſimam navigationis appulerunt Acropolin & controverſam omnibus ingreſſi ſunt Ophiram. Acrius certatum credo pro genuino hujus ſitu, quam à Græcis olim pro Helena. Conantur qvidam in America (ggg) collocare. Quidam nutu Chaldaici interpretis ad Africæ revocant Cephalam (hhh) aut Sophalam.

Qvi-

(ddd) *Num. 33. v. 36. & profecti ſunt ex Ezion-Geber, & caſtrametati ſunt in deſerto Zin, qvæ Kades eſt; & v. 37. & profecti è Cades caſtra metati ſunt in monte Hor in extremo terræ Edom.*

(eee) *Ezion-Geber (ita Hieronymus in Epiſt. ad Fabiolam) voco lignationes viri aut dolationes hominum, (ſignificantius diceretur ξυλακισμοφόρος, qvia locus lignorum ferax) qvod diſciplina cædentibus hic monſtratur ligna informia, & dolantibus facientibusq; vaſa diverſa.*

(fff) *1. Reg. l. 26. Et fecit Rex navem ſ. claſſem in Aſion Geber.*

(ggg) *Joſ. à Coſt. l. 1. d. Nat. Nov. Orb. c. 14. Joh. Goropius Becan. in Hiſp. l. 7. p. m. 112. Horn. l. ſupr. c.*

(hhh) *Chaldæus interpres cum claſſem Salomonis in Ophiram profecturam, ſemel atq; iterum navem vocat, ſeu claſſem Africanam;*

occaſio-

Qvidam in Aſia qværunt, inq; ejus auro fœcundis Toprana (iii) atq; Zeilane. Rationes priorum hilo minus concludunt; Hornii non abſurda modo ſed merum μορμολύκειον. Abſurda eſt, quia Salomonem in Americam naviгaſſe dicit, ipſum tamen navigationis terminum quærit in Hiſpania. Ophir, inqvit Tarteſſus eſt, nobiliſſima Hiſpaniæ regio, priſcis ob auri abundantiam freqventata. Qvis vero ſummam auri copiam, Tarteſſo aſſeruit Bæticæ? Thynnorum hic erat piſcatura, ingensqve ſalis apparatus, nihil ſingulare magis, nil Salomonæâ dignum ὄρεξι. Ipſe Strabo (kkk) maximas ad Mauritaniæ Tingin enavigationes recenſens conditos ſaltem ſale piſces cauſas dixit freqventiæ, nec Ortelius ſagaciſſimus antiqvitatis indagator ſuo alieni quid inſeruit (lll) theſauro. Præterea nullum in Sacro codice locum inveni, ubi Tharſis certam regionem, nedum Hiſpaniam denotet: Vel proprium ſcri-

---

occaſionem qvibusdam dedit, Sophir mutandi in Ophir. Sic videmus Origenem deceptum eſſe in Job. c. 22. v. 24. Φασὶ δέ τινες τῶν ἑρμηνευτῶν τὴν Σωφεὶρ τὴν Ἀφρικὴν εἶναι; *h. e. Ajunt interpretum non nulli Sophir eſſe Africam. Perperam itaq; Sophir in Ophir mutatum eſt S repetito temerè ex* τῆς Ὠφὴρ. *conf. Boch. part. 1. l. 2. c. 27. p. 160.*

(iii) *Defendit hanc opinionem Bochartus qvia Topranæ inſulæ, qvam Zeilam eſſe multis probat, omnia ad amuſſim qvadrant, qvæ de Ophira leguntur in libris Reg. & Chron. vid. Geogr. Sacr. part. II. l. 1. c. 46. p. 768. & ſeqq. Notandum vero duplicem olim fuiſſe Ophir unam in Arabia prope Sabæos, alteram in India. Illa qvidem auro etiam ſcatebat præſtantiſſimo. v. Pſ. 72. v. 15. Eſaiæ 60. v. 6. Ezech. 27. v. 22. 1. Reg. 10. v. 2. aliis tamen Salomonææ claßis mercibus caruiſſe certum eſt. In remotiorem itaq; navigarit Ophiram neceſſe eſt. Maxime cum triennio, itinere illo fuerit occupatus.*

(kkk) *l. 3. Geogr. non longe ab init. ubi de Herc. Col. Hinc, inqvit, navigationes ſunt maximæ ad Mauritaniæ Tingin, & mercatura, & condiendorum piſcium freqventia.*

(lll) *p. 19.*

ſcripturæ nomen eſt, de inſigni è filiis Javan (mmm) artifice, & Ahaſveri ſumptum (nnn) cubiculario, vel appellativum thalaſſium partim Beryllum (ooo) denotans, vel qvodvis mare (ppp) à cœruleo dictum colore. Valde igitur in Scripturam Sacram injurius fuit Hornius, cum τὸ in Tharſis ire, de termino non in qvo, ſive mari navigationis medio, ſed ad qvem, haud collatis ſcripturæ locis parallelis, fuerit interpretatus. Deniq; vix erit probabile Salomonem relicta India Orientali fœcundo Cornu (qqq) copiæ ad

---

(mmm) *Gen. 10. v. 4.* (nnn) *Eſter. 1. v. 14.* (ooo) *Exod. 29. v. 20.*

(ppp) *Pſ. 48. v. 8. Pſ. 62. v. 10. Eſaiæ 2. v. 16. & cap. 23. v. 1. Jer. 10. v. 9. Ezech. 27. v. 12. & cap. 38, v. 1. Jon. 1. v. 3. Et in hoc ultimo ſenſu, hic qvoq; nomen Tharſis accipiendum eſſe arbitramur cum S. Luther. noſtro, qvi paßim reddidit* die Meerſchiffe/die Schiffe auff dem Meer. *Hieronym. ad Marcellam. Ribera Comm. in Jon. c. 1. Salm. in Parce Mem. p. 34. Advertendum hinc, maximam inter Tharſis & Tharteſſum Hiſpaniæ eſſe differentiam, qvia ſi Tharſis eſſet Tharteſſus Hiſpanica, Tharteſſus iſta Bætica eſſet mater & Tyrus ejus filia & colonia qvod apertè falſum eſſe omnes teſtantur Hiſtorici æq; ac Geographi. Tyrii enim colonias ſuas in Hiſpaniam & præprimis in Tharteſſum & Godiram transplantarunt, non contra Tharteſſi & Hiſpani ſuas in Tyriorum terram. Conſeqventia nititur teſtimonio Eſaiæ. 23. v. 10. cum Tyrum ſic alloqvitur: Tranſi terram tuam velut rivus filia Tharſis; hæc niſi cum Luthero explices* fahr hin durch dein Land wie ein Strom/du Tochter des Meers/ *vix te extricare poteris.*

(qqq) *Certum eſt orientalem Indiam imprimis Peguanam, Malacam, Topranam multitudine qvaſi auri olim laboraſſe. Hinc crediderim anſam priſcos accepiſſe Geographos, ut ſolum hujus terræ aureum dixerint. vid. Pomp. Melam l. 3. c. 7. p. m. 92. Ed. Baſil. Plin. l. 6. c. 19. p. m. 256. Iſidor. l. 14. c. 3. & 8. & integros huc montes aureos poſuerint, qvos cuſtodiant gryphi atq; dracones. vid. Mel. l. 3. p. m. 90. Ed. Baſil. & Plin. l. 11. c. 31. Argento opulentisſimam fuiſſe Ophiram in Libris Reg. & Paralip. leges qvoties cum ſtupore Salomonis divitias abhinc deductas*

revol-

ad remotiſſimam aut Americam aut Hiſpaniæ Tharteſſum claſſem miſiſſe, cum illam aut confinem habuerit aut non remotam longius. Hactenus itaq; Sophiſticæ velum detractum, protrahenda nunc etiam in lucem veritas. Difficile certè opus cui exequendo vix juveniles noſtri ſufficiunt humeri. Nam cum Indis nullus fuerit literarum uſus, nulla Americanis majorum monumenta, apud ſcriptores antiqvos nulla orbis hujus extent veſtigia, temerarium fuerit certi quid aut explorati profiteri. Probabiliter vero colligimus vicinitatem orbis & regionum continuationem primum pro Chinenſibus, Scythis, atq; Hunnis exhibere argumentum; non qvod Scythas neceſſariò dicamus, aut Hun-

revolves. adde Plin l. 6. c. 19. p. m. 256. Celebratur porrò India qvod po-
tiores in ea ſint gemmarum divitiæ, qvam vel in Africa vel in Ame-
rica vel in ulla Europæ parte. Ita Plinius Lib. 37. c. 13. p. m. 160c.
gemmiferi ſunt amnes Aceſimes & Ganges, terrarum autem omnium
maximè India. Marcus Paulus Venetus in ſua Chorogr. Tartariæ Lib.
3. c. 22. in Zeilan: dieſe Inſul hat viel Edelgeſteine / zuvor Rubinen /
die ſind nicht köſtlicher in der Welt / Sapphiren / Amethiſten / To-
paſien und dergleichen. *Qvod de almugghim in Scripturis extat,*
& de Ebeno explicari debet, tanta ejus hic duratio & coloris ſvavitas, ut
hujus ſimilem toto non reperias terrarum orbe. De Elephantis non
dubium eſt, ex India eos petiiſſe Salomonem, cum uſitatiſſimi ibi fuerint
& paſſim obvii. Conf. Plin. l. 8. c. 9. p. m. 345. Strabon. l. 15. Curt. l 8. Dio-
dor. Sicul. Bibliothecæ fol. 81. Ælian. l. 16. c. 18. p. m. 928. Ed. Geſner
Genev. Abhinc Ebur comparatum eſt medicinæ conſecratum & alienis.
uſibus. Hinc Simii reportati erecto incedentes corpore, qvi hoſtium
inſtar exercitûs prætereuntes perterrefaciant colonos. Conf. Plin. l. 8. c. 21. p
m. 363. Ælian. l. 16. c. 10. p. m. 916. & l, 17. c. 36. p. 1004. Ut taceam a-
lia, qvæ rariſſima ad Salomonem claſſe fuerunt delata. Certè nec
multitudine nec caritate nec pretioſitate mercium Indicarum ullæ aliæ
huic ſunt æqviparandæ plagæ. Qvin infinitis potius modis eidem
poſtponendæ.

Hunnicæ originis, qvi in Americam venerunt, ſed quod per Scythiam eos tranſmigraſſe credamus,aut propinqvam Chinam. Sic non negavero Judæorum quoſdam, una cum Scythis, Americam immigraſſe,ita tamen ut nec tribum confecerint,nec peculiarem nationem; ſed exutà paulatim inter barbaros,uti fieri ſolet,natura, etiam Judæi eſſe deſierint. Alios excidia urbium ſuarum hoſtilibus armis elapſos,ſpoliatosq; eò expulerunt, alios domeſtica ſeditio ſubmovit, alios ſuperfluentis nimis populi freqventia ad exonerandas emiſit provincias. Qvi vero vel antiqviores eò ſeceſſerint, vel recentiores, quibusq; terræ angulis pervenerint, tantis literarum tenebris meum non eſt definire. Sufficit demonſtraſſe permixtos exulibus Septentrionales,qviq; orientem colunt,Sinenſes, Indos, primos probabiliter in Americam ſeceſſiſſe colonos. Dudum Scriptores obſervarunt verſus Aſiam magis hominibus abundare Americam, qvam qva Europam reſpicit. Nec Americani ſeptentrionalem omnino neſciunt originem,cum crebram migrationum à Septentrione in Meridem faciant mentionem. Auctæ hæ gentes,aut à ſuccedentibus pulſæ à Septentrione migrarunt in Meridiem; aliæ longo errore jactatæ non judicio elegerunt locum, ſed laſſitudine proximum occuparunt; aliæ armis ſuperiores remotiorem magis Americam ſibi vindicarunt. Certe unius originis eſſe homines,qvi cis iſthmum habitant & ultra eum, clariſſimis deprehenditur indiciis. Acceſſerunt per intervalla alii populi exilio patriæ per invia qvæq;, per incognita verſati. Auſtralis America Africam fere æqvat, Antarctica ad polum uſq; culta Aſiam ſuperat & Europam. Ad miraculum fœcundi fuiſſent boreales illi, ſi excluſis orbis reliqvi colonis Americanam ſoli propagaſſent ſobolem.

Lerius

Lerius à profugis metu Joſuæ Cananæis, auctam eſſe dicit. Romanos in Americam veniſſe Marinæus Siculus putat. Britanni Madocum Cambrum magnam eò deduxiſſe volunt coloniam. Jacobus Charron Gallis hanc laudem adſcribit. Kircherus Ægyptiis tribuit, alii aliis. Ego omnes admitto, omnibus enim via patuit & occaſio; certis ſaltem argumentis, eo conceſſiſſe, demonſtrari poſſe, nego atq; pernego.

DE ORIGINIBUS AMERICANIS
CAP. II.

Argumentum.

Viæ in Americam. Navigationes antediluvianæ. Phœnices artem nauticam non invenerunt. Incrementa artis nauticæ. Fabula de Dædalo & Icaro exploſa. Veteres ex ſyderibus navigationes direxerunt. Magnetis uſus antiqvitus cognitus. Lapis Heraclius qvid. Plauti verſura. Nautæ caſu in Americam delati. Beſtiæ qvomodo eò venerint. America terrâ adiri poteſt. Fretum Anian exploditur. Argumento è teſtimonio incolarum. Fruſtraneo conatu hominum curioſorum. Autoritate Franciſci Caronis. Votum pro ſalute Americanorum.

EGimus huc uſq; de Gentium Americanarum originibus, nunc quibus viis America commodè adiri potuerit, conſiderandum. Etiamſi enim (inqvit Latius) aliqua communio aut ſimilitudo morum atq; linguæ oſtendi poſſet, & non commoda iniri ratio, quâ à ſua regione in hanc venerint, nihil hac conjectura profectum æſtimari poteſt. Sanè ingenioſus Hipponæ (a) Præſul inter alia ob Oceani immenſitatem Antipodum ridebat

aſſer-

(a) *Auguſtin. de C. D. Lib. 16. c. 9. p. m. 188. Edit. Lud. Viv. Qvod Antipodas eſſe fabulantur, i e. homines à contraria parte terræ, ubi ſol oritur, qvando occidit nobis, adverſa pedibus noſtris calcare veſtigia, nullâ ratione credendum eſt. Neq; hoc ulla hiſtorica cognitione didiciſſe ſe affirmant, ſed qvaſi ratiocinando conjectant eò qvod intra convexa cœli terra*

aſſertores. Nos ordini humano inſiſtentes navibus eos appuliſſe credimus atq; terra continente. Cum enim navigatio jam ante diluvianis temporibus (b) innotuerit, qvis negare audebit, inſulas ultra oceanum remotas nutu divino fuiſſe freqventatas. Equidem abſterrebantur aliqvandiu à maris ingreſſu Noachidæ ob recentem diluvianæ cladis memoriam. At erectis divinitus animis nutantibus, & accensâ cupiditate, conſcenſis mortales navibus remotas orbis oras rurſus qvæſiverunt. Primus ut opinor inſu-

terra ſuſpenſa ſit, eundemq́; locum mundus habeat & infimum & medium. Et paulò poſt: Nimis abſurdum eſt, ut dicatur, aliqvos homines ex hac in illam partem Oceani immenſitate trajecta navigare ac pervenire potuiſſe, ut etiam illis ex uno primo illo homine genus inſtitueretur humanum.

(b) *Qvid enim? (ita Schefferus Clariſſimum Sveciæ è Germania lumen, lib. 1. c. 2. p. 19. de Milit. Navali.) nonne credimus etiam ante diluvium orbem ab hominibus fuiſſe occupatum? nonne flumina & maria etiam tunc extitiſſe Sacer Codex docet? itaq́; in tanta diuturnitate temporis qvis eſt qvi ſemel iterumq́; navigatum qvalicunq́; deniq́; ſcientia negare qveat? Et innuere videtur Joſephus, qvando primas Japetarum navigationes ſine ullâ admonitione, curioſus alioqvin harum rerum indagator commemorat. Qvid qvod aliæ artes minus utiles, minus neceſſariæ tunc fuerint uſitatæ; qvis ergo navigationem ignotam credat? neq́; obſtat, ſi qvis beneficio illius aliqvos ſervari potuiſſe dicat in diluvio; cumq́; id factum non ſit, ne ipſam qvidem cognitam fuiſſe oggerat. Nam fortè ratibus tantum modo aut acatiis utebantur, qvod genus contra Imbrium violentiam valere non potuit. Deinde temporis diuturnitas obſtabat, qvâ, ſi vel maximè valuiſſent, fatigati tamen ad poſtremum ſuccubuiſſent. Accedebat deniq́; voluntas divina, contra qvam nullam vim humanam ſatis eſſe validam nemo ignorat. Manet ergo meo animo perſvaſum, non ex vano ducendum, qvod à Platone traditur Lib. 3. de Legib. etiam ante diluvium notitiam hujus artis habuiſſe homines, ſed unà cum inſtrumentis ipſius per diluvium perdidiſſe.*

inſulam ingreſſus Chithim (c.) Javanis filius, Japeti nepos. Hunc ſecuti alii Phœnices (d) maximè, qvi crebris poſtea navigationibus ſummum ſibi acqviſiverunt maris imperi-

(c) *Meminit ejus Spiritus Sanctus Geneſ. X. v. 4. & ſeqq. Filij Javanis, inqvit: Eliſcha erant, Tharſis, Chithim, Dodanim; Ab his diviſæ ſunt inſulæ Gentium. Prolixius Joſephus Antiqvit. Judaic. Lib. 1. c. 6. p. m. 12. Poſtqvam enim ob diverſitatem lingvarum homines diſperſos docuiſſet, ſubdit:* εἰσὶ δὲ οἵ καὶ περαιοσάμενοι ναυσὶ τὰς νήσους κατῴκησαν, *nec defuere, qvi conſcenſis navibus in inſulas trajicerent, & mox c. 7. de Chethimo:* χέθιμος δὲ χεθιμὰ τὴν νῆσον ἔσχεν, Κύπρος αὕτη νῦν καλεῖται. *Chethimus Chethimam inſulam occupavit, qvam jam Cyprum vocant. Qvod verò qvem dixi, filius Javanis primus omnium in inſulam transgreſſus mare navigabile reddiderit, etiam ex eo apparet, qvia inſulis reliqvis ab hac poſtea nomina ſua Cananæi vel Hebræi indidêre, & Chethim vocarunt; Teſtatur hoc Joſephus ibid.* Καὶ ἀπ᾽ αὐτῆς νῆσοι τε πᾶσαι καὶ τὰ πλείω τῶν παρὰ θάλασσαν, χέθιμ ὑπὸ ἑβραίων ὀνομάζεται *i. e. Ab hac tum inſulæ omnes, tum pleraꝗ loca maritima Hebræis gentili voce Chethim vocantur.*

(d) *Qvi Phœnicibus primam navalium artium inventionem tribuunt, græca nominis Eſavi translatione decepti ſunt. Phœnix Græcis ruffum denotat vel rutilum, Hebræis verò Edomæum. Edomæus autem in ſacris monumentis Eſavus dicitur, Iſaaci filius, Abrahami nepos. Hic Idumææ imperans terram qva patet univerſam à ſe ipſo denominavit. Contermina erat oceano & ad litoralem maris tractum ſita ad navalium ſtudia optimos qvosꝗ alliciebat. Dubium itaꝗ non eſt Eſavum maris utilitate illectum navigiis etiam operam dediſſe. Certè qvi venatorem è ſcriptura deſcribunt, non ſolo ſolùm, ſed & ſalò maximè potentem fuiſſe dicunt, imò ſunt qvi latrociniis maris aut piraticæ honeſto tunc apud veteres qvæſtu (Thucydides L. 1. de Antiqvit. Græc.) vixiſſe non dubitent affirmare. Ab hoc in poſteros propagata ars, tanta mox incrementa cœpit, ut neglectis aliorum navigationibus, non palma ſaltem ſed & inventionis gloria adjecta fuerit. Sic Mela lib. 1. c. 12. p. m. 22. Phœnices ſolers hominum genus & ad belli paciſꝗ munia eximium literas commentos eſſe ait, & literarum operas, alias item*

um. Haud exculta (e) ſtatim erat ars illa nobilis, rudis primùm & imperfecta, ſuccedente demũ tempore creſcere cœpit. Monoxylis (f) utebantur primo, cavata lintre & ſcaphis litorariis. Sed cum excitatis Bellis majora homines ſuſciperent itinera, vel ratem fecerunt vel plurés tabulas (g) in veram navigii formam combinarunt. Mox naves ædificavere

artes, navales maximè atq; bellicas. Diodorus Lib. 12. magnam Phœnicum in rebus nauticis celebrari inqvit gloriam, tum multitudine navium, tum ſingulari navigandi peritia, à ſuperioribus ſuis accepta, aſſiduoq; deinceps uſu exculta.

(e) *Egregiè Claudian. in Præfat. Rapt. Proſerp.*

Inventa ſecuit primus qui nave profundum
Et rudibus remis ſollicitavit aqvas:
Tranqvillis primum trepidus ſe credidit undis,
Litora ſecuro tramite ſumma legens.
Mox longos tentare ſinus & linquere terras
Et leni cœpit pandere vela Noto.
Aſt ubi paulatim præceps audacia crevit
Cordaq; langventem dedidicere metum.
Jam vagus irrupit pelago cœlumq; ſecutus
Ægæas hyemes Ioniumq; domat.

(f) *De Hiſpanis teſtatur Strabo Lib. 2. ad Cordubam, ait, navigant ſcaphis fluvialibus, qvas noſtrâ ætate primum fecere, antiqvitus verò etiam Monoxylis. Sic Polyænus Lib. 5. in Tyanicho: antiqvos ait* σκάφας *adhibuiſſe* ἢ μονοξύλους, ἑκάστην ἕνα ἄνδρα δέξασθαι δυναμένην, *qvorum qvisq; unum virum capiebat. De lintribus Livium vide Lib. 21. c. 26. p. m. 33. Edit. Gronov.*

(g) *Factum hoc paulo poſt Phœnicum tempora ex invento Samothracum: Philo Biblius ex Sanchoniatone ap. Euſeb. Lib. 1. de Præp. Evang. c. 10.* Ἐκ δὲ Συδὺκ διόσκουροι, ἢ Κάβειροι, ἢ Κορύβαντες, ἢ Σαμόθρακες: οὗτοι φησὶ πρῶτοι πλοῖον εὗρον. *Ex Sydyc Dioſcuri, ſeu Cabiri, ſeu Corybantes, ſeu Samothraces orti, hi dicuntur plœum (Phœnices cymbam dicunt, lembum Cyrenæi, (elocem Rhodii, alii aliter) inveniſſe.*

cavere (h) & triremes diverſa remorum ſerie ad maxima qvæq; compoſuere facinora. Vela Dædalus invenit, & filius Jcarus (i) ceratis alis Minois elapſi tyrannidem. Ventorum rationem Æolus edocuit, horumq; explorata (k) viciſſitudine, accuratius veli uſum demonſtravit. Ex ſtellarum inſpectione (l) curſus dirigebant navium, fretiq; cyno-

---

(h) *Per naves non intelligo qvascunq;, verùm tales qvarum magnitudo* πλοῖα *ſuperabat & remi certò ordine diſponebantur, à Græcis* εἰκόσοροι *dictas.*

(i) *Pauſanias in Bœot.* Ἡνίκα ἔφευγεν ὁ Δαίδαλος ἐκ Κρήτης πλοῖα οὐ μεγάλα αὑτῷ καὶ τῷ παιδὶ Ἰκάρῳ ποιησάμενος, πρὸς δὲ καὶ ταῖς ναυσὶν (ὃ μήπω τις τότε ἐξεύρετο) ἱστία ἐπιτεχνησάμενος, ὡς τοῦ Μίνω ναυτικοῦ τὴν εἰρεσίαν φθάνοιεν ἐπιφόρῳ τῷ ἀνέμῳ χρώμενοι. *Latina verſio ita ſe habet p.m.510. Edit. Aub. & VVech. Fugit tunc è Creta Dædalus ſibiq; & filio Icaro non magna ædificavit navigia, iisq; (qvod tum adhuc erat incognitum) vela impoſuit (hæc alæ ſunt ceratæ, qvibus poetæ eum avolaſſe fingunt) ſicq; Minois claſſem, qvippe qvæ remis tantùm uteretur, facilè effugit, ſecundo vento uſus.*

(k) *Poetæ, ait Servius, Æolum fingunt eſſe regem ventorum. Sed ut Varro dixit, Rex fuit inſularum, è qvarum nebulis & maximè fumo Vulcaniæ inſulæ prædicens futura flabra ventorum, ab imperitis viſus eſt ventos in ſua poteſtate retinere.*

(l) *Sidonii, verba ſunt Strabonis, l.16. cum multarum, tum optimarum artium magiſtri perhibentur, ad hæc aſtronomiæ & arithmeticæ periti,* ἀπὸ τῆς λογιστικῆς ἀρξάμενοι καὶ τῆς νυκτιπλοΐας *ab arte calculatoria & nocturna navigatione facto initio. Propert. Lib.2.v.989.*

Qværitis & cœlo Phœnicum inventa ſereno
Qvæ ſit ſtella homini commoda, qvæq; mala.

Aratus de Cynoſura in Phænomenis.

Τῇ δ' ἄρα Φοίνικες πίσυνοι περόωσι θάλασσαν.
Hac qvoq; Phœnices freti lata æqvora ſulcant.

Germanicus in Aratum: Arcturus minor à pluribus Phœnice vocatur, qvam Sidones aſpicientes, continuò navigant. Hyginus Lib. 2. Phœni-

cynoſura latiſſima ſulcarunt æqvora. Negat Bochartus (m) reperta nondum pyxide nautica in Americam navigari potuiſſe, negat veteribus cognitam fuiſſe vim magnetis ἡγεμονικήν. Ἡρακλείȣ quidem lapidis, (n) ſed lapidis tantum, non occultæ in eodem virtutis magneticæ, Græcis aſſerit notitiam. Abſurda dictio! Qvaſi verò magnes hac demum mundi ſenecta vim acceperit ἡγεμονικὴν, hâc caruerit antiqvitus. Si nihil aliud te movet, qvàm veterum (o) de virtute ejus ſilentium, cum ipſo nomine indicatam cogita. Vix enim ſibi perſvadere potuerunt antiqvi, tam bardos fore hodiernos ſcriptorum ſuorum lectores, ut notato

---

Phœnices autem obſervant & hanc ſtudioſius percipiendo diligentius navigare exiſtimantur, & verè eam ab inventoris nomine Phœnicem appellant. Lucianus in Icaromenippo: καθάπερ οἱ Φοίνικες ἄστροις ἐτεκμαίρȣ τὴν ὁδὸν. *Ut Phœnices ex ſtellis deſignabas vim.*

(m) *Part.2. Lib. 1. c. 38. p. 716. Geogr. Sac. Nautica pyxide nondum reperta parum eſt veroſimile in Americam Phœnices navigaſſe, cum hæ terræ Lybia atq; Braſilia tanta locorum intercapedine ſint ab invicem diſſitæ, ut de Americanis inſulis taceam, Hiſpaniolâ ſcil. Cubâ, Jamaicâ & aliis, qvæ multò ſunt remotiores. Fullerum ſcio multa moliri, ut Tyrios probet à Salomone edoctos compertam habuiſſe vim magnetis* ἡγεμονικὴν. *Sed cordato lectori apparet virum doctum in hoc figmento plurimum ſibi indulgere, nec ullâ ratione niti, qvæ ſit alicujus momenti.*

(n) *Veriſſimum certè eſt, (habentur hæc Part. 2. Lib. 1 c. 38. Geogr. Sac.) lapidem illum à Græcis ἡράκλειον appellari, nec opus erat Ptolemæum hic advocare teſtem in re omnium notiſſima. Nam ut Heraclium lapidem Theophraſtus pro coticula uſurpet, cujus in probando auro uſus eſt; tamen præter Ptolomæum, Platoni Comico etiam, & Luciano, & Helladio Byſantinoo, & Galeno, & Aetio, & Piſidæ (apud Suid.) & Heſychio, & Suidæ, & Favorino* ἡρακλεία λίθος *eſt magnes.*

(o) *Id. ibid. p. 717. ignotam fuiſſe (virtutem magnetis) ex eo patet, qvod illius in ſcriptis veterum nec vola nec veſtigium.*

tato ſpeciali emphaſi lapide Heraclio, vim ejus non adverterent, nec ab ipſo inventoris nomine ad naturam lapidis concluderent ſpecialem. Imò nec antiqvos omnes Magnetis virtutem ἐν ἀποῤῥήτοις continuiſſe, ex Ptolemæo (p) patet, ut nil de aliorum teſtimoniis dicam, aut Plauti (q) verſura, à nullo pejus qvam Turnebo (r) explicata. Optandum autem eſſet, navarchas hunc nauticæ pyxidis theſaurum vel melius cuſtodiviſſe, vel non celaſſe ita pertinaciter; egregium profectò in humanum genus inde redundaſſet emolumentum, inſignis adhuc redundaret utilitas. Sed periit proh dolor! vel ſupina hominum incuria, vel damnanda Tyriorum invidia; ni fors mirari velis arcanam Dei providentiam, qvæ aliqvandiu hominũ animis eximere voluerit nobile hoc inſtrumentum, ut majori commodo ſuo tempore in lucem producat. Neqvaqvam verò dixero poſt acûs nauticæ jacturam homines vel litora le-

 giſſe

(p) *verba ſic ſe habent L.7.c.2.* Φέρονται δὲ καὶ ἄλλαι συνεχεῖς δέκα, ἐν αἷς φασὶ τὰ σιδήρους ἔχοντα ἥλους πλοῖα κατέχεσθαι, μήποτε τῆς Ἡρακλείας λίθου περὶ αὐτὰς γεννομένης. *Feruntur & aliæ eſſe continuæ decem inſulæ, in qvibus detineri ajunt navigia, qvæ ferreos habent clavos, fortaſſe qvia lapis Heracleus circa ipſas gignitur.*

(q) *in Mercator. Scen. Divûm atq́ hominum &c.*

Hic ventus nunc ſecundus eſt, cape modò verſoriam.

& in Trinum. Scen. Staſime fac te &c.

Cape verſoriam recipe te ad herum.

(r) *Verſoria, inqvit, Adverſar. Lib. X. c.4. eſt ap. Comicum Plautum funis qvô vertitur velum. Nam eos ferre non poſſum, qvi recentem illam pyxidiculam naviculatoriam atavorum memoria inventam explicant. Prætoria certè verba! Qvæ tamen nullatenus ſatisfaciunt eruditis. Ego crediderim neq́ de pyxide nautica hæc rectè explicari, neq́ de fune verſorio, cum Lambino potius & Stuckio dixerim inſtrumentum qvoddam nauticum hic intelligi, à pyxide diverſum, ex qvo cognoſci ſoleat unde ventus flet.*

giſſe ſaltem, vel navigandi artem intermiſiſſe penitus. Enimverò ſi ſola ſtellarum obſervatione remotam Himilco (ſ) petiit Britanniam, ſi ſtellis ſaltem ducibus longiſſimè à Gadibus in auſtrum Hanno (t) excurrit, cur non & eadem veteres ratione Americam & diſſitas ad occidentem regiones petere potuerunt. Neq; tamen ſtatuerim, navibus hanc occidentalem Indiam à primis Incolarum parentibus conſilio fuiſſe occupatam. Nam cum nullam habuerint hujus orbis notitiam, nullam inſularum (dicendum enim id iterum eſt) in Atlantico remotiſſimarum conjecturam, nullam iis etiam earum tribuere poſſumus cupiditatem. Fortuitò itaq; ac præter opinionem eò ventum eſſe & exempla perſuadent & ventorum naviumq; qualitas. Quis enim inficiatur plurimas novi orbis regiones ventorum potius injuriâ, qvàm hominum patefactas eſſe ſolertiâ? Aut qvis ignorat ſplendidiſſima naturæ munera ſæpè caſu magis quam induſtria eſſe conqviſita? Utut autem homines in prolixis ſervati errorum periculis in has ejecti fuerint regiones, beſtias tamen imprimis humanæ perniciei intentas eò deferre non potuerunt. Seqvitur itaq; alia via in Americam conceſſerint immania, fœtida, & peſtifera, quæ nunc

(ſ) *Plinius Lib.2.c.67.p.m. 108. Hanno, inqvit, Carthaginis potentia florente circumvectus à Gadibus ad finem Arabiæ, navigationem eam prodidit ſcripto: ſicut ad extera Europæ noſcenda miſſus eodem tempore Himilco. Præterea Nepos Cornelius autor eſt, Eudoxum (conf. Melam Lib.3.c.9.p.m.97. Edit. Baſil.) qvendam ſuâ ætate cum Lathyrum regem fugeret, Arabico ſinu egreſſum Gades uſq; prætervectum; multoq; ante eum Cœlius Antipater, vidiſſe ſe qvi navigaſſet ex Hiſpania in Æthiopiam commercii gratiâ.*

(t) *Mela Lib.3.c.9.p.m. 97. Hanno Carthaginenſis exploratum miſſus à ſuis cum per oceani oſtia exiſſet magnam partem ejus circum vectus, non ſe mari, ſed commeatu defeciſſe memoratum retulit.*

nunc inſunt ànimantia. Tantum verò abeſt oceano illuc perveniſſe credamus, ut oculata potius confirmati peregrin antium ex perientia hos rideamus, qvi tanta latitudine tranſnataſſe aſſeverant. Si alæ volucrum deficiunt in undarum hâc abyſſo, multò magis gravia ingentisq; molis beſtiarum corpora. Terrâ patet aditus, viam habent cum America connexam, tranſitum Aſia exhibet, nullo freto interclusum; Geographorum igitur hujus ævi fuit aut præfracta malitia, aut craſſa ignorantia, cum Cathajam & qvæ extra arcticum ſita ſunt, ab Americadivulſerunt Septentrionali: impoſtura fuit cum fretum Aniam obtruſerunt, quod hactenus non potuit in rerum natura reperiri. Demonſtravit id nuper argumento irrefragabili, qui de hac materiâ ſummè meritus Dn. Eliud Nicolai, rariſſimus profecto ſcriptor, qvem, cum nullibi ejus daretur copia Franckenſteinius exhibuit, Vir profundæ πολυμαθείας. liceat arduis ejus pro oppugnandis aliorum futilibus pugnare argumentis, ipſaq; autoris verba tenui huic, pro re natâ, inſerere opuſculo. Autoritatem autoritati opponit, (u) hiſtoriam

riam

(*u*) Es ſtimmen (*hæc ejus verba ſunt*) alle *Chartæ maritimæ* alte und neue / ſo viel mir noch deren zu Handen kommen / in dem überein / daß ſie zwiſchen *Aſia* und *America* einen offenen Durchgang ſetzen / welchen ſie das *fretum Anian* nennen; Woher ihnen aber das *Fretum Anian* bekant / und wer iemahln aus *Europa*, *Aſia*, *Africa* oder *America* dahin geſchiffet / davon hab ich biß *dato* auff fleiſſig gehabte Nachforſchung / keinen Grund erfahren können. Diß hat mir aber eine glaubwürdige anſehnliche Perſon / welche eine ziemliche lange Zeit ſo wohl in *Japon* als *China* ſich auffgehalten / für gewiß angezeiget / daß alle bißher *publicirte Mappen*, ſo viel die *loca ſeptentrionalia Japoniæ* anlanget / in dieſen zwey *puncten Imperfect* und falſch / indem ſie erſtlich oberhalb Japon eine groſſe Inſul aus-

auslaſſen/von den Japonenſern *Jezo*, von den Innwohner *Ainomoxodi* genant: und dann zum andern/daß wie mich erſtbeſagte Perſon bericht von dieſer Inſul *Jezo*, Nordwards zu rechnen / kein *fretum* ſondern ein *continens* ſeye / von einer Provintz Rebuncur genandt/ an dem Ort/da man ins gemein davor gehalten/und in allen bißher *publicir*ten SeeCharten ein ſolches für gewiß einkommen laſſen/ daß zwiſchen *Tenduc* und *Quivira* ein *fretum* gelegen/welches man ins gemein *Anian* genennet / da doch die Provintz Rebuncur noch ferner Oſtwarts gegen etlichen groſſen Landſchafften ohne allen Durchgang/und dieſelben Landſchafften alsdenn ſich ferner gegen Sud/das iſt/*verſus meridiem*,erſtrecken / von dannen man zu Lande biß an die jenigen Orte gelangen kan/da Anno 1577. *Franciſcus Dracus* in Nachſuchung des *Freti Anian* aus lauterer Kälte zurück kehren müſſen: Mit dieſen fernern vermelden / daß zwar zwiſchen der Inſul *Jezo* und zwiſchen den feſten Land an den Ort / da *Franciſcus Dracus* wieder zurück gefahren/etliche Inſuln gelegen / es ſey aber auch bey denſelben in wenigſten nicht verſpühret werden / daß von dannen/das iſt/ von Japon/ Jezo / oder von den Ainomoxotiſchen Inſuln gegen Mitternacht zu rechnen das wenigſte *fretum* durchfahrt/Meer/oder *Iſthmus*, ja anders nichts verhanden / als vorgedachte Provintz *Rebuncur* und *Loxa*,*item* auff beyden Seiten Oſt- und Weſtwarts ein pur lauterer *continens verſus ſeptentrionem* aber gar viel unbekante Land und Königreiche. Damit man aber nicht meine/daß dieſer Bericht ungewiß oder alleine von hören ſagen/ und zwar von einen ſolchen Sagen entſprungen ſey / daß man den erſten *Autorem de viſu* nicht anzuzeigen wiſſe/ ſo hat mich vorbemelde Perſon/welche erſt vor 5. Jahren aus China zu Land heraus in Europam kommen/ſo viel bericht/daß ſie mit einem/ der in der Inſul Jezo daheim geweſen/aus der Sache *diſcuriret* und von denſelben ſo viel verſtanden/daß die Provintz *Rebuncur* gleich wie ſie von Jezo Nordwarts gelegen / und alsdenn von dannen gegen Auffgang und Mitternacht kein *Tranſitus* verhanden/ferner in ein ander Meer zu gelangen; alſo ſey auch gegen Niedergang und Mitternacht kein Paß durch oder neben Rebuncur in ein ander Meer / ſo Nordwarts gelegen/zu ſchiffen/ſondern daß Rebuncur gegen Nie-

der-

riam novellis, Liſabonâ miſſis à Megiſſero temerè vindicatis revera nondum comprobatis. Teſtimonio nititur incolarum Jezo inſulæ, Chinæ ac Japoniæ. Ingenuè hi qvod res eſt ſunt profeſſi, apertè demonſtrarunt globorum, tabularum item geographicarum falſitatem. Domeſtica confirmarunt atq; oculari experientia Jezo omiſſam hactenus & ſeptentrionem verſus Rebuncur, eô locô, quô Anian fretum credebatur, Loxæ continentem Cöræam juxta, provinciam. Dubitabam aliquantum an ἀμετάπτωτον ſit quod ab autoritate negativa depromitur argumentum, maximè cum viderem aſſenſum ſuſpendiſſe hactenus tot hiſtoriæ ac Geographiæ peritos, imò plures conjecturis ſubnixos omninò negaſſe. At cum oculis tot obverſarentur (x) Navarchæ, tot navarcharum operæ, operarum ſumt', ſumtuum vel in anis, vel nullus planè effectus, magis

 coepi

dergang der Sonnen mit der Provinß *Loxa* bey *Corœa*, gegen Auſgang der Sonnen aber mit *Quivira* gränßen. So ſey auch die Landſchafft *Corœa* in den *Mappis* übel *deſcribiret*, indeme man ſie gemeiniglich von den Königreich China als eine Inſul *ſepariret*, da doch beſagte Landſchafft *Corœa* eben ſo wohl ein feſt Land mit *China* und noch darzu den *Chineſern* zinsbar ſey.

(*x*) daß dieſes der wahre Grund ſey (*ita pergit citatus autor*) was oben von der Inſul Jezo und von der Landſchafft Rebuncur geſagt worden/iſt daher zu erweiſen/ daß das ſo lang und ſtarck geſuchte *fretum Anian* biß auff dieſen Tag nicht zu erfinden geweſen/ da es doch/wo es *in rerum natura* were/ entweder *Sebaſtianus Gavotus*, welcher demſelben Anno 1496. auff des Königes in Engelland Unkoſten nachgeforſchet/oder *Caſpar Cortereal*is der Anno 1500. aus Portugal mit dieſen *Intent*, oder *Iohann. Verrazanus* der mit Verlag des Königs in Franckreich Anno 1524. dieſer Orten geſchiffet / oder *Stephan. Gomez* der im nechſten Jahr darauff aus Caſtiglien dahin geſegelt oder *Iac. Carthier* der abermals auff des Königs in Franckreich

cœpi in ſententiam inclinare. Acceſſit deniq; nupera Japoniæ à Franciſco Carone publicata deſcriptio, qvæ cum Aſiam itidem Americæ continentem fecerit, magis me confirmavit in ſententia. Nam cum à prima ætate eo loco verſatus Caron tandem etiam circa imperium fuerit occupatus, res ea certe illi ignota eſſe non potuit. Sic inventa via eſt, qva homines pariter & beſtiæ in Americam & olim potuerunt & adhuc poſſunt commeare. Nihil supereſt, niſi ut ſupplices divinam imploremus miſericordiam, affundat excœcatis barbaris, à ſe lapſis, à ſe redire impotentibus ſpeciale Sancti Spiritus lumen, ut expulſa morte, vitam aliqvando & ſalutem, quæ in Chriſto unica eſt, æviternam amplectantur.

---

reich Unkoſten Nordwarts gefahren / oder *Hugo VVillibes* und *Stephan Borroueve*, welche aus Engelland Anno 1556. ihre *Dirotta* in offtbemelte Nordgegend / ieder abſonderlich genommen / oder viel andere aus Dennemarck und Jſland / würden ſchon längſt gefunden haben; Weiln ſie aber biß dato alle ihre Mühe und Arbeit vergebens angewendet / und unerachtet ieder unter ihnen ſeinen euſerſten Fleiß angekehret / ob ſie *ex Septentrione in meridiem* durch das vermeinte *fretum Anian* in die Philippiniſche / wie auch in die Moluciſche Jnſuln gelangen möchten / dannoch nichts anders ausgerichtet / als daß ſie etliche vor dieſen unbekandte *Sinus* und mit Eyß und Schnee bedeckte Jnſuln gefunden / aus derer Erfindung dieſer Nutz entſprungen / daß ietzt Holl- und Engelland wegen des Spitzenberges und des Fiſchfanges daſelbſt mit einander kriegen / und ieder Theil das *jus piſcandi* in dieſem neuen Lande haben wil / ſo iſt leicht zuerachten / daß das ſo lang und ſtarck geſuchte *fretum Anian* eine eitele Fabel dieſer Leute ſeye / welche bißweilen von den *Intereſſenten* mit Fleiß darzu beſtellet werden / und *per conſeqvens* alle Mühe / Gefahr / Koſten / Zeit und Arbeit verlohren ſeye.

Δ. T. Θ.

JG69
H811d